

# **Anticlaudianus**

Alanus de Insulis

## Prologus

Cum fulminis impetus uires suas expandere dedignetur in uirgulam, uerum audaces prouectarum arborum expugnet excessus, imperiosa uenti rabies iras non expendat in calamum, uerum in altissimarum supercilia rerum uesani flatus inuentiones excitet furiosas, per uitiosam nostri operis humilitatem inuidie flamma non fulminet, nostri libelli depressam pauperiem detractiois flatus non deprimat, ubi potius miserie naufragium, misericordie portum expostulat, quam felicitas liuoris exposcat aculeum. In quo lector non latratu corrixationis insaniens, uerum lima correctionis emendans, circumcidat superfluum et compleat diminutum quatenus illimatum reuertatur ad limam, impoliturum reducatur ad fabricam, inartificiosum suo referatur artificio, male tortum proprie reddatur incudi. Sed quamuis artificii enormitas imperitiam accuset artificis, in adulterino opere imperitie uestigium manus relinquat opificis, opus tamen sui ueniam deprecatur erroris, cum tenuis humane rationis igniculus multis ignorantie obnubiletur erroribus, humani ingenii scintilla multas erroris euanescat in nebulas. Quare ad hoc opus non nauseantis animi fastidio ductus, non indignationis tumore percussus, sed delectatione nouitatis illectus, lector accedat, ut, quamuis liber uernantis eloquii purpuramento non floreat et fulgurantis sententie sydere non clarescat, tamen in fragilis calami tenuitate mellis possit suauitas inueniri et arescentis riuuli modicitate sitis ariditas temperari; in hoc tamen nulla uilitate plebescat, nullos reprehensionis morsus sustineat, quod modernorum redolet ruditatem, qui et ingenii preferunt florem et diligentie efferunt dignitatem, cum pigmea humilitas excessui superposita giganteo, altitudine gigantem preueniat et riuus a fonte scaturiens in torrentem multiplicatus excrescat. Hoc igitur opus fastidire non audeant qui adhuc nutricum uagientes in cunis, inferioris discipline lactantur uberibus. Huic operi derogare non temptent qui altioris scientiae militiam spondent. Huic operi abrogare non presumant qui celum philosophie uertice pulsant. In hoc etenim opere litteralis sensus suauitas puerilem demulcebit auditum, moralis instructio perficientem imbuet sensum, acutior allegorie subtilitas proficientem acuet intellectum. Ab huius igitur operis arceantur ingressu qui, solam sensualitatis insequentes imaginem, rationis non appetunt ueritatem, ne sanctum canibus prostitutum sordescat, ne porcorum pedibus conculcata

margarita depereat, ne derogetur secretis, si eorum magestas  
diuulgetur indignis.

Quoniam igitur in hoc opere resultat grammaticae syntaxeos  
regula, dialecticae lexica maxima, oratoriae rebus communis  
sententia, arithmeticae matheseos paradoxa, musicae melos,  
axioma geometriae, grammatica theorema, astronomicae hebdomadis  
excellencia, theophanie celestis emblema, infructuosi homines in  
hoc opus sensus proprios non impingant, qui ultra metas  
sensuum rationis non excedant curriculum, qui iuxta  
imaginationis sompnia aut recordantur uisa, aut figmentorum  
artifices commentantur incognita; sed hii qui suae rationis  
materiale in turpibus imaginibus non permittunt quiescere, sed  
ad intuitum supercelestium formarum audent attollere, mei  
operis ingrediantur angustias, certa discretionis libra pensantes  
quid sit dignum in aures publicas promulgari uel silentio penitus  
sepeliri. Sicut enim quorundam genuinos detractiois insultus  
non timeo, sic fauorabilem commendationis auram ab aliis non  
expecto. Non enim tumor superbiae intus eructans ut exiret in  
publicum, me huius operis coegit ad fabricam, uel fauor  
popularis applausus insolentem inuitauit ad operam, sed ne meus  
sermo contraheret de cura raritate rubiginem aliorumque  
profectibus labore mei studii desudarem.

## PROLOGUS

[1-9]

Autoris mendico stilum falerasque poete,  
Ne mea segnicie Clio directa senescat,  
Ne iaceat calamus scabra rubigine torpens.  
Scribendi nouitate uetus iuuenescere carta  
Gaudet, et antiquas cupiens exire latebras  
Ridet, et in tenui lasciuit harundine musa.  
Fonte tuo sic, Phebe, tuum perfunde poetam,  
Vt compluta tuo mens arida flumine, germen  
Donet, et in fructus concludat germinis usum.

## LIBER PRIMUS

[1-17]

Vt sibi iuncta magis Nature dona resultent,

Vt proprium donet donis mixtura fauorem,  
Solers Nature studium, que singula sparsim  
Munera cunctulerat aliis, cuncludit in unum.  
Cudit opus, per quod operi cuncluditur omni:  
Pristina sic operum peccata repensat in uno,  
Vt quod deliquit alias cumpenset in isto.  
Supplicat huic operi famulans, opus omne decoris,  
Et tanta cupiens uestiri dote fauoris,  
Incudis deposcit opem: sed fessa laborat  
Incus, que tantos uires expendit in usus.  
Vltra sese posse studet Natura suumque  
Supra se metitur opus, sic uincere fertur  
Artifices alios, quod se superasse fatetur.  
Nec subitos animi motus perpessa, repente  
Currit ad hec opera, sed ad hec deliberat utrum  
Possit et ad libram rationis singula pensat.

[18-32]

Protinus ergo suas uocat in sua uota sorores,  
A quibus emeriti descendat tramite recto  
Regula consilii mentisque coherceat estum,  
Vt sic, freta sue scalpro rationis, in ipsos  
Effectus operum mentis deducat ydeas,  
Aut lima meliore diu concepta recidat.  
Ergo consilii non aspernata rigorem,  
Concilium celeste uocat; peregrinat ab alto  
Milicie celestis honor terramque serenat  
Luce sua, dignatus humum uestire beatis  
Gressibus, et nostri tolerans fastidia mundi,  
A splendore suo descendit regia celi;  
Dum lumen proprium terre cuccedit ad horam,  
Jam noua miratur tellus uestigia ferre,  
Gaudet honus, sed uis honeris pensatur honore.

[33-46]

Pacis alumpna mouet primos Concordia gressus,  
Et pleno cuncta perfundens Copia cornu,  
Et Fauor, et multo perfusa fauore Iuuentus,  
Et Risus nostre proscibens nubila mentis,  
Et Pudor, et certo contenta Modestia fine,  
Et Racio, mensura boni, quam semper adherens

Felici gressu felix comitatur Honestas,  
Et Decus, et cuncta trutinans Prudentia libra,  
Et Pietas, et uera Fides, que fraudis in umbra  
Nobis ypocritum mentiri nescit amorem,  
Et uirtus que spargit opes, que munera fundit,  
Quam penes ignorat ignauam gaza quietem  
Nec dormire potest thesauri massa sepulti,  
Sed mutat uarios tociens peregrina magistros.

[47-54]

Vltima Nobilitas, et forme laude secunda,  
A longe sequitur harum uestigia; quamuis  
Nescio quid presigne gerat, tamen huius ad unguem  
Non poterat reliquis facies equare decorem;  
Munere Fortune melior sed parcius ipsa  
Gracia Nature dotes effundit in illa.  
Hec superum soboles gressus maturat in arcem  
Nature proprioque domum chorus afflat honore.

[55-80]

Est locus a nostro secretus climate longo  
Tractu, nostrorum ridens fermenta locorum:  
Iste potest solus quicquid loca cetera possunt;  
Quod minus in reliquis melius suppletur in uno;  
Quid prelarga manus Nature possit et in quo  
Gracius effundat dotes, exponit in isto,  
In quo, pubescens tenera lanugine florum,  
Sideribus stellata suis, succensa rosarum  
Murice, terra nouum contendit pingere celum.  
Non ibi nascentis expirat gracia floris  
Nascendo moriens; nec enim rosa mane puella  
Vespere languet anus, sed uultu semper eodem  
Gaudens, eterni iuuenescit munere ueris.  
Hunc florem non urit hyems, non decoquit estas.  
Non ibi bacchantis Boree furit ira, nec illic  
Fulminat aura Nothi, nec spicula grandinis instant.  
Quicquid depascit oculos uel inhebrat aures,  
Seducit gustum, nares suspendit odore,  
Demulcet tactum, retinet locus iste locorum.  
Iste parit, nullo uexatus uomere, quicquid  
Militat aduersum morbos nostramque renodat,

Instantis morbi proscripta peste, salutem.  
Non uulgi uerum, uerum miracula gignens  
Sponte nec externo tellus adiuta colono,  
Nature contenta manu Zephirique fauore,  
Parturit et tanta natorum prole superbit.

[81-91]

Flore nouo gaudens, folio crinita uirenti,  
Non demorsa situ, non iram passa securis,  
Non deiecta solo, sparsis non deuia ramis,  
Ambit silua locum, muri mentita flguram.  
Non florum predatur opes foliique capillum  
Tondet hyems, teneram florum depasta iuuentam.  
Exilium patitur arbor quecumque tributum  
Germinis et fructus Nature soluere nescit,  
Cuius mercari fructu meliore fauorem  
Contendens aliasque suo precellere dono,  
Quelibet et semper de partu cogitat arbor.

[92-96]

Syrenes nemorum, cithariste ueris, in illum  
Conuenere locum mellitaque carmina sparsim  
Commentantur aues, dum guturis organa pulsant.  
Pingunt ore liram, dum cantus imbibit istos  
Auditus, dulces offert sonus auribus escas.

[97-106]

In medio lacrimatur humus fletuque beato  
Producens lacrimas, fontem sudore perhenni  
Parturit et dulces potus singultat aquarum.  
Exuit ingenitas feces argenteus humor,  
Ad puri remeans elementi iura, nitore  
Fulgurat in proprio, peregrina fece solutus.  
Pregnantis gremium telluris inhebrat iste  
Potus et ad partus inuitat uota parentis:  
Arboribus similes tellus non inuida potus  
Donat et affectum pariendi suggerit illis.

[107-125]

In medio nemoris euadit in aera montis

Ardua planicies et nubibus oscula donat.  
Hic domus erigitur Nature, si tamen isto  
Nomine censeris fas sit, cum numine possit  
Sydereas superare domos superumque penates,  
Nec sibi dignetur conferre palacia regum.  
A nostris laribus excepta beatior aula  
Aera metitur, altis suspensa columpnis,  
Sydere gemmarum prefulgurat, ardet in auro  
Nec minus argenti proprio donatur honore.  
Non ibi materies, que sit demissior istis,  
Jura tenet propriaque potest plebescere forma.  
Hic hominum mores picture gracia scribit:  
Sic operi proprio pictura fideliter heret,  
Vt res picta minus a uero deuiet esse.  
O noua picture miracula! Transit ad esse  
Quod nichil esse potest picturaque simia ueri,  
Arte noua ludens, in res umbracula rerum  
Vertit et in uerum mendacia singula mutat.

[126-151]

Sic logice uires artis subtiliter huius  
Argumenta premunt logiceque sophismata uincunt:  
Hec probat, ista facit; hec disputat, impetrat illa  
Omne quod esse potest: sic utraque uera uideri  
Falsa cupit, sed ad hoc pictura fidelius instat.  
Illic arma parat logico logiceque palestram  
Pingit Aristoteles, sed eo diuinius ipsa  
Sompniat archana rerum celique profunda  
Mente Plato, sensumque Dei perquirere temptat.  
More suo Seneca mores ratione monetat,  
Optimus excultor morum mentisque colonus.  
Diuitis ingenii uena Ptholomeus inundans,  
Deuctus superas curru rationis in arces,  
Colligit astrorum numeros, loca, tempora, cursus.  
Verbi pauperiem redimit splendore colorum  
Tullius et dictis ornatus fulgura donat.  
Virgilii musa mendacia multa colorat  
Et facie ueri contextit pallia falso.  
Hic uigor et sensus equali munera lance  
Pensat: Alcidem uigor armat, sensus Vlixem.  
Ne mentem fermentet opum conuictus, habunde  
Fundit opes Tytus et munera cogit abire.

Militat instantis feruens audacia Turni,  
Ense tonans, ignara metus et prodiga uite,  
Ypolitique pudor Veneris subductus habenis  
Gaudet et excepto luget Cytherea pudore.

[152-206]

Has species rerumque tropos et sompnia ueri  
Regia picta tenet, tanto festiua decore,  
Sed minus in uultu gestans insigne decoris  
Postremos subtristis habet pictura penates.  
Vel lusisse parum, uel saltem sompnia passam  
Credas et tenues ire sensisse procellas,  
Vel magis oblitam facti presentis in illa  
Naturam peccasse putes. Delira uidetur  
Picture facies meliorem poscere formam,  
Sed neque gemmarum radius splendore diescens,  
Nec nitor argenti, nec fulgure gracios aurum  
Excusare potest picture crimen adultum  
Quin pictura suo languens pallescat in auro:  
Illic pannoso plebescit carmine noster  
Ennius et Priami fortunas intonat; illic  
Mevius, in celos audens os ponere mutum,  
Gesta ducis Macedum tenebrosi carminis umbra  
Pingere dum temptat, in primo limine fessus  
Heret et ignauam queritur torpescere musam;  
Illic precipiti Nero fulmine concutit orbem,  
Indulgens sceleri, cogit plus uelle furorem,  
Quam furor ipse uelit; quicquid distillat ab illo  
Nequicie sese totum partitur in orbem;  
Illic diues eget, sitit aurum totus in auro  
Midas, nec metas animo concedit habendi.  
Militis excedit legem plus milite miles  
Ajax milicieque modus decurrit in iram.  
Fractus amore Paris, Veneris decoctus in igne,  
Militat in Venerem; dum militis exuit actus,  
Damnose compensat in hac quod perdit in armis.  
In Dauo propriam miratur noctua formam  
Et uultus peccata sui solatur in illo.  
Ergo Nature quicquid munuscula plene  
Percipit aut eius modicam subterfugit artem,  
Inscriptum calamis picture fabula monstrat.  
Singula discernens sensu Natura profundo,

Sedibus hiis sua iura tenet legesque figurat  
Prouida, quas toto sparsim promulgat in orbe.  
Scrutatur rerum causas et semina mundi:  
Quis Chaos anticum uultu meliore redemit,  
Dum forme melioris opem uultusque decorem  
Quereret atque suum lugeret silua tumultum;  
Quis, fidei nexu ciuilia bella refrenans,  
Et fratrum rixas, elementis oscula pacis  
Indidit et numeri nodo meliore ligauit.  
Terrarum motus, mugitum fulminis, iras  
Oceani, uentorum prelia mente fideli  
Conspicit et certa solers indagine claudit  
Temporis excursus; cur contristata pruinis  
Luget hyems canis, ridet uer, estuat estas,  
Effluit autumnus rerum torente profundo,  
Vel cur terra sedet, fluit amnis, profluit aer,  
Flamma uolat reliquisque fidem non inuida seruat;  
Non audens uiolare fidem cur federa terris  
Labilis unda tenet, certo contenta meatu.

[207-213]

Postquam celestis aurata sedilia cetus  
Impleuit tantaque nitens deitate refulsit  
Ipsa domus, tanti lucem mirata diei,  
Concilii stetit in medio Natura, parumper  
In terram demissa caput, concepta seueris  
Vultibus exponens dextraque silencia dictans,  
Suspendensque animos, uoces exiuit in istas:

[214-269]

"Sepe, diu, multum solerti mente retracto  
Singula que nostre pinxit solercia dextre,  
Sed nichil inuenio quod in omni parte beate  
Viuat, quin multas nobis deferre querelas  
Possit, si hanc nostram uelit accusare Mineruam.  
Sed nostras errasse manus quod penitet, error  
Haut nocet et nostros denigrat parcius actus.  
Nec tamen herentes maculas abstergere possum,  
Quas habitus firmi prescriptio longa tuetur,  
Nam medicina silet, ubi morbi causa senescit,  
Nec morbi ueteres molimina tarda requirunt.

Vnica coniecto tante solacia pestis,  
Que tamen effectu describere nolo, priusquam  
Norma iudicii uestri mens nostra probetur.  
Hoc in mente diu scriptum mihi sedit, ut omnes  
Et simul instanter, caute, solerter ad unum  
Desudemus opus, in quo tot munera fundat  
Quelibet, ut post has dotes uideatur egere,  
Nostrorum crimen operum redimatur in uno,  
Vnius probitas multorum crimina penset  
Vnaque quamplures exterminet unda litturas.  
Non terre fecem redolens, non materialis  
Sed diuinus homo nostro molimine terras  
Incolat et nostris donet solacia damnis,  
Insideat celis animo, sed corpore terris:  
In terris humanus erit, diuinus in astris.  
Sic homo sicque Deus fiet, sic factus uterque  
Quod neuter mediaque uia tutissimus ibit,  
In quo nostra manus et munera nostra loquantur.  
Sit speculum nobis, ut nos speculemur in illo  
Que sit nostra fides, que nostra potencia, virtus  
Que sit et in quantum melius procedere possit.  
Si labor accusat nostros in munere tanto  
Deffectus honerique manus succumbere nostro,  
Hoc decus excusat, soluens objecta pudoris.  
Si Natura negat, animi succurrere debet  
Robur et affectus effectu claudere nostros.  
Nam quod nulla ualet per se supplebit in unum  
Coniurata manus, ut que non singula prosunt  
Multa iuuent collecta simul, nam plurimus annem  
Riuulus exressens gignit scintillaque flammam  
Multa parit multusque lapis concludit aceruum.  
Heu! pudeat nostrum tociens errasse laborem  
Et tociens fructum male respondisse labori!  
Heu! pudeat nostra terris decreta silere,  
Quod nostri languescit amor, quod fama tepescens  
Torpet et a toto uiles proscribimur orbe,  
Quod laxas mundo sceleris concedit habenas  
Thesiphone nostraque sibi de gente triumphans  
Gaudet et a nostro luctu sibi gaudia suggit:  
Vincimur et uictas pedibus summittit Herinis  
Et grauibus nostra castigat colla cathenis".

[266-269]

Sic Natura, suo mentem sermone figurans,  
Fine dato uerbis, orandi fine perorat.  
Gaudet et assentit Nature curia, uotum  
Laudat et a uoto non distant uota sororum.

[270-302]

Surgit ad hoc placidi uultus gestusque modesti  
Circumscripta modum Prudencia. Colla pererrat  
Aurea cesaries, sed acus mediata refrenat  
Litigium crinis et regula pectinis instat.  
Ordo supercilii, iusto libramine ductus,  
Nec nimis exhaustus nec multa nube pilorum  
Luxurians, sese geminos exemplat in arcus.  
Luminis astra iubar, frons lilia, balsama naris,  
Dens ebur osque rosam parit, offert, reddit, adequat;  
Spirat in ore color uiuus nec candor adulter  
Turpiter effingit tanti phantasma decoris.  
Sydereum uultus castigauere ruborem  
Lilia nupta rosis et, ne palloris obumbrent  
Nubila candorem, deffendit flamma ruboris.  
Clarior argento, fuluo conspectior auro  
Lucidior glacie, cristallo gracior omni,  
Menti planicies roseo non derogat ori;  
Non male colla sedent, humero non insidet alta  
Ceruix, sed spacio surgit distincta modesto.  
Poma mamillarum, modico suspensa tumore,  
Nulla mollicie dependent fracta, sed ipsa  
Duricie proprii describunt signa pudoris.  
Explicat explicito tractu iunctura lacertos  
Amplexusque suos deoscere brachia credas,  
Imaque conciliat summis extremaque primis  
Conuallis laterum, modulo submissa decenti.  
Cetera quis nescit meliora latere sub istis  
Quorum sola gerunt placidi preludia uultus?  
Canone sub certo dimensio nulla retardat  
Corporis excursus uel certo fine refrenat:  
Nunc magis euadens celestia uertice pulsat,  
Nunc oculos frustrans celestibus insidet, ad nos  
Nunc redit et nostra sese castigat habena.

[303-325]

Vestis erat filo tenui contexta, colorem  
Non mentita suum nulloque sophismate uisum  
Decipit, immo rubor natiuus inhebrat illum.  
Non ibi materies forme suffragia querit  
Nec forme peccata sibi uelamina querunt.  
Materie neutra succumbit, neutra sorori  
Cedit et ex equo certant utra uincere possit.  
Sompniat hie rerum species pictura resultans,  
Quas tamen ex parte iubet expirare uetustas,  
Et forme ueteris uestigia pauca supersunt;  
Sed tamen in partes uestem diffibulat istam  
In uariis scissura locis, lugere uidetur  
Vestis et illata sibimet conuicia fiere.  
Dextra manus librat trutinam que singula pensat  
In numero, forma, mensura, pondere, causa.  
Hiis ornata modis, isto festiua paratu,  
Verba parat solers Prudencia, cuius ab ore  
Curia dependet. Currunt instanter ad illam  
Visus et auditus, sed uoto dispare certant:  
Visus, ut in specie tanta conuiuia querat  
Auditusque fauos uerborum suggat ab ore.  
Hiis igitur uerbis mentem Prudencia pingit,  
Dum tenet intentas attentio tanta sorores:

[326-424]

"Nil nisi diuinum sapit hec sententia, tanti  
Prouida consilii, que sic rationis in igne  
Decoquitur quod nulla manent uestigia fecis.  
Non fluidum redolet animum, non mentis obese  
Segnicem loquitur, subitis non motibus instat  
A summis exputa labris, sed mentis ab alto  
Prominet et nostris offert medicamina morbis.  
Trans hominem mens ista sapit, condita sapore  
Diuine mentis, de cuius fonte profundo  
Riuulus emanat, animi discrecio uestri.  
Non igitur iacet exanimis, non indiga recti,  
Non rationis inops, non mens effrenis oberrat,  
Non agitur casu, tanto suffulta patrono.  
Que tantam mentem detractio mordeat, aut quis  
Vrgeat inuidie stimulus? Quis nubila liuor

Misceat aut odium? Cur limes regius illam  
Dirigat et recto producat calle uiantem?  
Ne uestre faciat conceptio mentis abortum,  
Ne res tanta ruat, ne lux moriatur in umbra,  
Sed magis exposita prefulguret, exeat illud  
In commune bonum, melius sub luce patebit.  
Namque bonum quod sepe latet splendore minori  
Degenerat lucetque magis si luce fruatur:  
Sic flos in fructus, in flumen riuus inundans  
Ibit et in messem pinguis procedet arista.  
Quid melius sperare potest, quid maius et ultra  
Quid poterit uelle mentis conceptus honeste?  
Si bonus est, hucusque licet, deflget in isto  
Gressus proposito nec longius ire laboret.  
Sed tamen hoc superest quod mentem concutit, obstat  
Proposito, uexat animum, concepta retardat,  
Quod tanti uires operis, tot pondera rerum  
Tantum nescit opus, operas suspirat ad istas  
Nostra manus, que sic hominem conducit ad esse.  
Quod non perducit, facit hunc, non perficit ipsum;  
Semper ad esse mouet, sed nunquam permouet illum;  
Ejus ad esse ualet nec ad eius preualet ortum.  
Dispar natura, dispar substancia, forma  
Discors, esse duplex hominis concurrat ad esse;  
Vna sapit terras, celum sapit altera, celis  
Insidet hec, illa terris, mortique tributum  
Cogitur ista dare, mortis lex excipit illam.  
Hec manet, illa fluit; hec durat, deperit illa;  
Essendi nomen gerit hec, gerit altera numen;  
Corpus habet terras, celestia spiritus: ergo  
Terram terra tenet, retinent celestia celum.  
Incudem nostram corpus mortale fatetur,  
Artifices nostros et nostram postulat artem.  
Artifices alios anime natale requirit,  
Artificis melioris opem celestis origo  
Postulat et nostram fugit eius forma monetam,  
Diuinique loquens operis miracula, nostrum  
Spernit opus, ridens artis uulgaria nostre.  
Qualiter ex nichilo, sine forma, semine, causa,  
Materia, motu, sensu, ductore, ministro,  
Ingenitum, simplex, animabile, mobile, purum  
Prodeat exterius, nullo mediante patrono,

Sola Dei nouit Prudencia, cuius ab alto  
Pectore procedit quicquid procedit in esse.  
Hie elementa silent, languescunt semina rerum,  
Sydus hebet, natura tacet uirtusque planete  
Deficit et propria miratur iura tacere.  
Ergo cum nostram genituram regula talem  
Nesciat et tantam stupeat pictura figuram  
Occasumque manus talem patiat ad ortum,  
Non uideo, non concipio, non iudico memet  
Scire modos, causas, rationes, semina, formas,  
Instrumenta quibus, nostra mediante Minerua,  
Ortus celestis anime ducatur ad ortum.  
Ergo consilii super hiis libramina ferre  
Nescio, non ualeo, dubito, desisto, retardor;  
Consilio, ratione, fide mea causa iacebit  
Orphana nec certo claudetur fine uoluntas,  
Singula ni Racio trutina meliore repenset,  
Quam penes obscurum, fluitans, mutabile, cassum,  
Ignotum, mendax nichil est, cui singula lucent,  
Cuncta patent dubiumque nichil, non alta uidentur  
Astra nec obscurus aer pelagusque profundum.  
Sol animi, mentis oculus lumenque uianti,  
Proscripti patria, mortis solamen, origo  
Iusticie, uirtutum regula, linea recti,  
Subducat dubia certis, mendacia ueris,  
In certo figat animum dubiumque recidat,  
Erroris tergat tenebras uerique serenat  
Luce diem mentis et falsi nubila pellat.  
Menti concusse dubiorum fluctibus aura  
Gracior applaudat, Racionis flamine leni  
Concilians estus animi fluctusque retardans.  
Segnicemque meam non tanti massa laboris  
Accusare potest; non tanto uicta labore  
Cedo nec ignaue mendico quietis asyllum.  
Aggrediar quicquid Racio dictauerit, immo  
Iusserit atque nichil de contingentibus ipsa  
Transgrediar, finem proprio pro posse secuta.  
Sed quia principia nullo concludere fine,  
Vel dare principiis fines aliunde petitos,  
Vt primo medium, medio non consonet imum,  
Censetur turpe, fluitans, mutabile, stultum.  
Cedere principiis malo quam cedere fini".

[425-435]

Sic ait et tanto dubiorum turbine tota  
Curia concutitur turbataque turba sororum  
Fluctuat in dubiis, alta cum uoce fluentes  
Suspendens animos, et murmura sola pererrant.  
Qualiter aura fremit, fluit aer, fluctuat unda,  
Quam primo Zephirus complanat flamine leni,  
Si maris excuciat borealis turbo soporem,  
Vel maris instantes cogat uigilare procellas,  
Sic animi fluitant et mentes mentibus instant;  
Quas Natura prius leni perflauerat aura,  
Perflat maiori flatu Prudencia mentes.

[436-464]

Erigitur Racio poscitque silencia nutu  
Voce, manu, facie; pacis tranquilla meretur  
Vultus et ad nutum moriencia murmura nutant  
Virginis in facie. Prudencia plurima uultu  
Paret et expressi sequitur uestigia uultus.  
Suntque relatiue facies: gerit altera formam  
Alterius seseque sibi conformat in illa.  
Vna sibi facies faciem presentat utramque.  
Vultus diuersi, facies diuersa duarum,  
Non aduersa tamen, quales decet esse sororum.  
Par facies habitusque pares, par gestus in illis,  
Par modus atque decor, sed dispar uultus in annis.  
Nam pocior Racio senii uexilla gerebat,  
Plenior etate, plenis maturior annis.  
Dextra manus triplicis speculi flamata nitore  
Splendet et in triplici speculo triplicata resultat  
Vitrea mollicies, que tactus abdicat omnem  
Insultum digitique leues uix sustinet ictus.  
Vnius speculi sese concedit in usum  
Attente Racio, speculo speculator in isto  
Causarum seriem, rerum scrutatur abissum,  
Subiecti formeque uidet connubia, cernit  
Oscula, que miscet concrecio, queue propinat  
Vnio natiua, formis subiecta maritans,  
Subiecti que forma facit, que perficit esse,  
Que rem conducit uel que perducit ad esse;  
Que generat, que mutat eam, que seruat in esse,

Quid sit uel quanta, qualis uel quomodo sese  
Res habeat reliquosque status perquirat in illa.

[465-482]

Argenti facies, feces exuta metalli,  
Infra se splendore diem stellasque relinquens,  
Exultat, speculi formam uestita secundi.  
Hic subiecta uidet, formis uiduata, reuerti  
Ad Chaos antiquum propriamque requirere matrem  
Inque statu proprio puram iuuenescere formam  
Nec sua degeneris subiecti tedia flere;  
Quomodo forma suo gaudens requiescit in esse,  
Nec uarios fluctus subiecti naufraga querit;  
Qualiter ad proprium peregrina reuertitur ortum,  
Subiecti fugit occasus et funera uitat.  
Subiecti senio non deflorata iuuentus  
Formarum, formas semper facit esse puellas.  
Cernit inoffenso uultu mentisque profundo  
Quomodo compositum simplex, celeste caducum,  
Diversum sit idem, grauidum leue, mobile certum,  
Obscurum lucens, preciosum uile, iocosum  
Flebile, perpetuum mortale, uolubile fixum.

[483-510]

Auri nobilitas, auro decoctior omni,  
Vixque suum dignata genus speciemque fateri,  
In speculi transit speciem, que tertia rerum  
Umbras mentiri nescit, sed singula monstrat  
Cercius et specie meliori cuncta figurat.  
Hic rerum fontem, mundi genus, orbis ydeam,  
Exemplar, speciem, causam, primordia, finem  
Conspicit et certis metitur singula metis:  
Qua ratione, quibus causis, cur, quomodo, quando  
Instabilis, genitus, fluitans, mutabilis iste  
Mundus ab ingenito, stabili certoque figuram,  
Esse, statum, speciem, uitam contraxit et ortum;  
Quomodo terrestrem formam celestis ydea  
Gignit et in nostram sobolem transcribit abissum,  
Mittit in exilium formas quas destinet orbi,  
A patre degenerat proles faciemque paternam  
Exiit antiqui uultus oblita parentis;

Qualiter in mundo fantasma resultat ydee,  
Cuius inoffensus splendor sentitur in umbra;  
Qualiter a fonte formarum riuus aberrans  
Ingenitum perdit subiecti labe nitorem;  
Quid cogat fatum, quia casu deffluat aut quid  
Arbitrii possit medio librata potestas.  
Se totam Racio speculis expendit in istis,  
Sed magis ad presens uisus indulget habenis,  
Mentem sollicitat, animum diffundit, ut intus  
Hauriat a speculis aliquid ratione probatum,  
Quod digne ferri tantas mereatur ad aures.

## LIBER SECUNDUS

[1-6]

Regia tota silet; expirat murmur in altum,  
Cum uisu placidos delegat curia uultus,  
Cum uisu currit animus uisumque uolantem  
Anticipare cupit uisus auriga uoluntas.  
Euocat ergo foras mentem Rationis inundans  
Eloquium sermoque modum decurrit in istum:

[7-56]

"Plus quam posse meum possit me posse iubetis,  
Dum uestram cogor indocta docere Mineruam.  
Sic mirti presunt lauris, oleaster oliuis,  
Sic saliuca rosis, uilis sic alga iacintis  
Prefertur germinique lutum uiolisque cicuta;  
Sic ouis a capra mendicat uelleris usum,  
Sic tumidus torrens a riuo postulat undam,  
Sic solet a Dauo Narcisus querere formam,  
Sic addit lucem candele flamma diei.  
Sed quantum cogit, iubet, instat uestra uoluntas  
Vt super hiis que uestra modo discrecio mouit,  
Mendicata mei tandem suffragia dentur  
Consilii, plene uestris obsistere uotis  
Nolo, sicque mea uobiscum uelle uoluntas  
Incipit, ut tandem cupiat quodcumque necesse est.  
Defecata minus aliamque rogancia formam,  
Consilii secreta meis deponere uerbis  
Malo, quam uotis uulgata fronte repugnem,

Aut mea coniectent suspecta silentia fastum.  
Ergo precor ueniam, uenie non tarda sequatur  
Gracia delictum, releuet compassio morbum,  
Si minus excoctas rationes uerba propinent,  
Vel rationis inops, ieiunus sermo laboret;  
Nec stupor inuadat uestre munimina mentis,  
Si sibi sermo meus maculas erroris adoptat.  
Error in humanis comes indefessus oberrat,  
Denigrare solet fermenti copia quicquid  
Humanus sermo uel mens humana voluptat.  
Si tamen officio finis respondeat, alter  
Non orantis erit error, non culpa medentis,  
Si primus finis fraudetur fine secundo.  
Non ferit assiduo telum quodcumque minatur,  
Non semper medicus sanat, non ipse perorat  
Retor, non logicus ad metas peruenit, immo  
Sepe iacens, calle medio defessus anhelat.  
Discretum, prudens, cautum, laudabile, tutum,  
Vtile consilium Nature iudico, uotum  
Approbo, propositum laudo, molimen adoro  
Vt nouus in mundo peregrinet Lucifer, in quo  
Nullius labis occasus nubilet ortum,  
Solis in occasu sol alter proferat ortum,  
Sol nouus in terris oriatur, cuius in ortu  
Sol uetus occasus proprios lugere putetur,  
Possideat solus quicquid possedimus omnes;  
Omnis homo sic unus erit, sic omne quod unum:  
Vnus in esse suo, sed erit uirtutibus omnis.  
Sit contra uicia que nos depellere temptant  
Tutor, defensor, iudex, athleta, patronus;  
A nostris laribus cum nos exterminet orbis,  
Hic noster thalamus, nostrum firmetur asyllum.

[57-89]

Non tamen inficior uterine uerba sororis,  
Que tanti limam sapiunt examinis, immo  
Verius hec eadem possunt examina dici,  
Cum nostrum fateatur opus nostramque requirat  
Incudem, fluitans humane machina molis.  
Corpus ad esse suum uocat artis regula nostre;  
Excipit hanc hominis animam, que semper ab istis  
Legibus excipitur, meliori pollice ducta.

Non tamen a tanto debet secedere uoto  
Instans propositum nec citra prelia uinci,  
Quamuis ad tantas operas tantumque laborem  
Nature suspiret opus citraque residat.  
Supplebit tamen ipsa manus diuina quod infra  
Perfecti normam Nature norma relinquet:  
Quod Natura facit diuinus perficit auctor;  
Diuinum creat ex nichilo, Natura caduca  
Procreat ex aliquo; Deus imperat, illa ministrat;  
Hic regit, illa facit; hic instruit, illa docetur.  
Ergo si nostris que sunt indigna fauore  
Votis aspirat, suspiria nostra relaxans,  
Plenius applaudet istis que sola perorant,  
Nec candore precum uestiri cultius orant.  
Vota tamen precibus nostris mellita mereri  
Plus possunt tali melius condita sapore.  
Ergo vota, preces, animos fundamus in illum,  
Vt nostris faueat uotis, ut uota secundet  
Qui solus complere potest, nec tarda sequetur  
Mens diuina preces, si mens legauerit extra.  
Quem non rethoricis oratio picta figuris,  
Non ignauus opum cumulus, non musa Maronis,  
Non amor ypocrita nec honor uenator amoris  
Demulcet, sed sola precum dulcedo perorat,  
Si tamen a fonte cordis deducta madescat.

[90-157]

Restat in ambiguo nec certa luce patescit  
Que nostrum, quibus auxiliis, quo calle uiarum  
In superas deuecta domos, donetur honore  
Legati, que uota Deo presentet et, instans  
Imbre precum, precibus diuinas compluat aures.  
Sed tamen, ut proprie mentis sententia dictat,  
Nulla potest melius istius muneris usum  
Amplecti quam nostra soror Prudencia, cuius  
Debellare nequit uirtutem turba laborum.  
Cuius iter, gressus obstacula nulla retardant,  
Non strepitus, non ira maris, non uallis abyssus,  
Non iuga, non celsi preceps audacia montis  
Asperitasque uie saxis callosa, nec ipse  
Limitis ambages desertaque nescia gressus,  
Non rabies uenti, non imbribus hebria nubes,

Non tonitrus horrenda lues, non nubilus aer  
Quin superos adeat, quin uisitet astra Deique  
Imbibat archanum. Diuino fonte madescens,  
Cernit in archanis superum quis conditor orbis,  
Quid Deus ipse uelit, quid mundo preparet aut quid  
Preuideat aut prouideat, uel destinet orbi,  
Quid celi possint secreta, quid astra loquantur,  
Cur celi motu cursus nugetur eodem,  
Semper in occasum uergens contra quem planeta  
Militet aduerso motu celumque refrenet;  
Morbida Saturni quid mundo stella minetur,  
Quamue salutis opem iouialis gracia mundo  
Nunciet, aut Martis sidus que bella prophetet,  
Quo duce, qua causa, quo fomite quoue patrono,  
Temperie, motu, uita, splendore, meatu  
Prouidet, applaudit, blanditur, consulit orbi  
Sol, oculus mundi, uite fons, cereus orbis;  
Quas Venus, illecebras, que tristia gaudia, tristes  
Leticias, mala dulcia, pocula fellea terris  
Offert et felle mellito cumpluit orbem;  
Quo nexu, qua lege meant, quo federe iuncti  
Lucifer et nostri Cillenius, assecla solis  
Nascentis, uexilla gerunt, famulantur eunti  
Alternantique uices, sibi quas partitur uterque,  
Alter in alterius usum transcribitur, alter  
Solis in occasu splendescit, solis in ortu  
Alter, et alterni sibi mutua nomina donant:  
Hesperus occasum comitatur, Lucifer ortum.  
Quo modo mendicat alienum luna decorem,  
Cur a luce sua Phebe demissa parumper  
Detrimenta sue deplorat lucis, at infra  
Plenius exhausta, tocius luminis amplam  
Iacturam queritur, sed rursus fratris in igne  
Ardescens, nutrit attriti damna decoris,  
Perfectos tandem circumfert plena nitores.  
Quis ligat in nube pluuiam, cur mugiat aer,  
Quis pariat uentos, quis eorum seminet iras,  
Cur in tot facies exit substancia nubis,  
Nunc pluuię plena lacrimis, nunc cana pruinis,  
Nunc uestita niuis facie, nunc grandinis arma  
Suscipit et celi miratur terra sagittas.  
Ergo que melius legati nomen inibit

Quam Fronesis, cui cuncta Dei secreta loquuntur?  
Ergo si nostris uult condescendere uotis,  
Omnia prouenient, ut lex deposcit et ordo  
Postulat, et certis claudentur singula metis.  
Nec puto quod tanta rerum molimina, tantos  
Cognatus animi, tanti momenta favoris  
Defraudare uelit tantosque refellere questus.  
Nil dubii superest, hiis concurrentibus; omnes  
Aggrediamur opus; melior fortuna sequetur.  
Dimidium qui cepit habet, finisque beati  
Gracia principiis semper respondet honestis".

[158-164]

Sic animos captat Racio mentesque sororum  
Allicit et turbam cogit plus uelle uolentem.  
Sed tamen assensum Prudencia sola minorem  
Donat seque parem tanto negat esse labori.  
Cogitur, illa negat meruitque negacio cogi.  
Fluctuat hec, se nolle negat nec uelle fatetur,  
Inter utrumque uolat, nec uult et nolle ueretur.

[165-177]

Cum sic in dubio mens pendet, fluctuat, heret,  
In medium cuncta medians Concordia sese  
Profert, in cuius facie deitatis ymago  
Splendet et humani fastidit tedia uultus.  
Pacem sponte tenet crinis flammancior auro,  
Se sibi concillat nec opem sibi pectinis optat;  
Sed sibi sufficiens in tanta pace quiescit  
Vt nec perflantis Boree suspiria crinem  
Sollicitare queant litisque creare tumultum;  
Forma, figura, modus, numerus, mensura decenter  
Membris aptatur et debita munera soluit.  
Sic sibi respondent concordi pace ligata  
Membra, quod in nullo discors uinctura uidetur.

[178-212]

Vnius uultus, uno contenta colore  
Vestis in ornatum membrorum transit, eisdem  
Sic aptata foris quod eis inscripta putetur.

Illic arte sua vitam pictura secundam  
Donat eis quos castus amor, concordia simplex,  
Pura fides, uera pietas coniunxit et unum  
Esse duos fecit purgati fedus amoris;  
Nam Daud et Ionathas ibi sunt duo, sunt tamen unum;  
Cum sint diuersi, non sunt duo mente sed unus;  
Dimidiant animas, sibi se partitur uterque.  
Vt sibi Pyrithous se reddat, redditus orbi  
Theseus inferni loca, monstra, pericula uictat,  
Viure posse negat in se, nisi uiuat in illo;  
Tydeus arma rapit, ut regnet Thydeus alter,  
In Polinice suo pugnat seseque secundum,  
Dum regnare cupit sibi, poscere regna uidetur.  
Alter in Eurialo comparet Nisus et alter  
Eurialus uiget in Niso; sic alter utrumque  
Reddit et ex uno comitum pensatur uterque.  
Atride furit in furiis eiusque furorem  
Iudicat esse suum Pilades patiturque Megeram,  
Ne paciatur idem Pilades suus alter et idem.  
Hec pictura suis loquitur misteria signis;  
Non res ipsa magis, non lingua fidelius unquam  
Talia depingit talique sophismate uisum  
Decipiens oculis, rerum concludit in umbra  
Qui prece solet esse boni pacisque figura.  
Virginis in dextra, foliorum crine comatus,  
Flore tumens, fructus expectans, ramus oliue  
Pubescit nec matris humi solacia querit.  
Quo mediante, uices, nexus et uincula rerum,  
Fedus, amicitiam, pacem Concordia nectit.  
Ad uirge nutum pacem sibi postulat illa  
Verborumque uotis succurrens, nutibus illis  
Prodit in hec uerbique sonum sententia dictat:

[213-309]

"Si mea iura, meas leges, mea federa mundus  
Olim seruasset uel adhuc seruaret amoris  
Vincula, non tantis gemeret sub cladibus orbis;  
Non cenam fratrum, non cene flectet abusum  
Phebus et errantis Nature crimina lugens,  
Noctis abusive tenebras legasset in orbem.  
Non rex thebanus, Pollinice frater et hostis,  
Exutus fratrem, sese mutasset in hostem.

Non Progne commenta dolos, exuta parentem,  
Pro pietate scelus redolens, pro matre nouercam,  
In sua degenerem uertisset uiscera dextram,  
Nec furor armasset contra sua uiscera matrem.  
Troie nobilitas, Troie decus, inclita Troie  
Fama uireret adhuc nec laudis flore careret.  
Non auri potum siciens, non hebrus auro  
Aurum potasset Crassus, male potus in auro.  
Non olim ciuile nefas, non Cesaris arma,  
Non pueri regis animum, non federa regni,  
Non mortis seruile genus seruosque probasset  
Magnus et exanimis, truncatus, nudus honore  
Funeris, in nuda solus iacisset harena.  
Post tantos belli strepitus, post funera Martis,  
Post gladii furias, post tot discrimina Cesar  
Non fraudes pugnamque stili sensisset inertem.  
Cesaris insultus, belli momenta, furorem  
Fortune casusque uices Antonius olim  
De facili posset uitasse, nec uxor, adoptans  
Mammis serpentes, colubros lactasset et ipsos  
Vberibus portans, portasset in ubere mortem.  
Ni stabili nexu, concordi federe, pace  
Perpetua uicibusque meis elementa ligassem,  
Intestinus adhuc strepitus primordia rerum  
Dissona concuteret germanaque bella mouerent;  
Officiis excepta suis, ignara meatus,  
Scabra situ, confusa locis, permixta figuris,  
Fortuitis agitata modis, elementa iacerent.  
Et nisi sponte meis obnoxia legibus essent  
Astra poli, celique uices, septemque planete  
Ordine, pace, fide, numero nexuque ligati,  
Omnia fortuitis ruerent incerta minis.  
Ni mea corporibus animas iunctura ligasset,  
Dedignans habitare casas, ergastula carnis,  
Spiritus egrediens proprios remearet in ortus.  
Hec probat, hec fatur, hec disputat, edocet, instat.  
Ostendit Racio quod nil seruatur in esse  
Quod seruare meas leges et iura recuset.  
Nos ergo liget unus amor, liget una uoluntas,  
Vnum uelle liget, liget unum nolle sorores.  
Cetera si normam pacis seruare tenentur,  
Nos magis ad quarum nutum disponitur orbis,

Quas penes arbitrium ius est et regula mundi.  
Quis nexus, quis uerus amor, quod fedus amoris,  
Que pietas, que pura fides, que linea recti  
In rebus reliquis saltern uestigia pacis  
Seruabit? Si nostra manet concordia discors,  
Defiluet in membra capitis iactura dolentis,  
Deffluet in ramos viciium radicis amare,  
Deffluet in riuos tabes cognata fluento.  
Quis lune splendor, si solis lumen oberret?  
Quis riui fluctus, si copia fluminis aret?  
Quis grani fructus, si torpens languet arista?  
Si nostram pacem discordia dissuit, immo  
Rumpit, nostra perit uirtus, nam stare negatur,  
Occasum paciens, in se diuisa potestas.  
Cum nobis donet consensus robur adultum,  
Dissensus noster uires exhauriet istas:  
Effectus medicina suos diuisa recusat;  
Quem sibi distribuunt riui minus amnis inundat,  
Vel diuisa minus candescit flamma camini;  
Acrior insultus uiciorum pugnaque maior  
Nobis incumbet, si nos diuiserit error;  
Postquam cementi rumpit discordia muros,  
Hostili pugne muros exponit inhermes;  
Acrius insultat sevitque profundius ensis,  
Conserte partes ubi nulla repagula donant  
Nec series harum conserta recalcitrat ensi;  
Acrius in uolucrum Iouialis fulminat ales,  
Cum plebem uolucrum uenientis disgregat horror;  
Vberius torrens effunditur, obice nullo  
Deffendente uiam fluuioque negante meatum.  
Ergo Concordes uotum curramus in unum:  
Quod Natura petit, Racio commendat, Honestas  
Approbat, immo cupit, Pietas deposcit et instat.  
Nec Fronesis sola, distans, contraria, discors  
Nos omnes pacis conformi lege iugatas  
Diuidet in partes ut amoris uincla relaxet,  
Sed potius constans, congaudens, consona, concors,  
In nostram mentem ueniet nec uicta labore  
Cedere credatur citra prelua lucte,  
Vel tumido flatu perflare superbia mentem,  
Vel sibi liuor edax animi mordere recessus.  
An que sola solet bona poscere, sola recidet

Hoc commune bonum, nostrum decus, utile uotum,  
Nos omnes que sola libens et sponte mouere  
In tantum deberet opus tantumque fauorem,  
Si flamata minus torperet nostra uoluntas  
Nec tantum uellet animus conscendere noster?"

[310-324]

Hiis uerbis accensa magis Prudencia mentem  
Sistit et in certo figit uestigia mentis.  
Tempestat animi moritur fluctusque recedunt,  
Velle suum commune facit cum uelle sororum:  
Cogitat, exquirat, studet, inuenit, eligit ergo  
Que uia, quis callis, que semita rectius ipsam  
Defferat ad superos archanaque regna Tonantis  
Vtque minus possit gressus uexare uiantis  
Limitis asperitas, pes scandala nesciat, immo  
Vt cicius possit munus complere quod instat,  
In quo percurrat celum, mare, sydera, currum  
Imperat excudi Sapiencia nec pede lento  
Affectum sequitur effectus, sed simul instant.  
Nascitur effectus cum nascitur ipsa uoluntas:  
Sic matri prolique simul conceditur ortus.

[325-362]

Caute, prudentes, pulcre similesque puelle  
Septem, que uultum sub septem uultibus unum  
Reddunt, quas facies, genus, etas, forma, potestas  
Vna tenet, tenet una fides, tenet una uoluntas,  
Assistent Fronesi, Fronesis decreta sequuntur,  
Eius in obsequio semper feruere parate.  
Tot dotes in eas effundunt dona Sophye  
Quod sese totam Prudencia fundit in illas,  
Se partitur eis, sibi thesaurizat in illis.  
Sic diuisa tamen manet integra, sparsaque tandem  
Colligitur, diffusa redit cum fenore multo.  
Delegans uultus in eam mentisque latebras,  
In uultu uelud in speculo chorus iste sororum  
Conspicit, attendit, discit, notat atque docetur  
Quicquid carta tenet, quicquid mens concipit, audet  
Lingua loqui tantamque bibit sine fine sophiam,  
Quid manus artificis, pictoris gracia, fabri

Dextera, scultoris solers industria possit:  
Vt Zeuxis pingit chorus hie, ut Milo figurat,  
Vt Fabius loquitur, ut Tullius ipse perorat,  
Vt Samius sentit, sapit ut Plato, querit ut Hermes,  
Diuidit ut Socrates, ut Zeno colligit, instat  
Vt Brisso, studet ut Crisias, speculatur ut Argus,  
Temporis excursus ut Cesar cogit, ut Athlas  
Sydera perquirat, ut Zetus pondera librat,  
Tanquam Crisippus numerat, metitur ut alter  
Euclides, canit ut Phebus, cytharizat ut Orpheus,  
Circinat ut Perdrix, ut Dedalus erigit arces,  
Fabricat ut Cyclops, ut Lennius arma monetat,  
Instruit ut Seneca, blanditur ut Appius, urget  
Vt Chato, succendit ut Curio, uelat ut alter  
Perseus, ut Crassus simulans, ut Iulius alter  
Dissimulans, ut Soldius implicat, explicat idem  
Vt Naso, uernat ut Stacius, ut Maro dictat,  
Concipit, exponit, imitatur, gestat, adimplet  
Mercurii sensus, nostri Demostenis iras,  
Ouidii flumen, Lucani fulmen, abyssum  
Virgilii, morsus Satyre, Solonis asylum.

[363-379]

Ergo Minerua uidens tanto splendore Sophye,  
Tot donis tantisque datis splendere sorores,  
Ordinat, iniungit, iubet, imperat, orat ut instans  
Quelibet istarum comitum, comitante Sophia,  
Corpore, mente, fide studeat, desudet, anhelet,  
Instet et efficiat ut currus currat ad esse,  
Quo terre spacium, mare, sydera, nubila, celum  
Transeat et, trini superato cardine celi,  
Scrutetur secreta Noys sensusque profundos  
Hauriat et summi perquirat uelle magistri.  
Vix satis expressit uotum, cum uota iubentis  
Certatim complere student seseque sorores  
Accingunt operi nec mens discordat ab actu,  
Non a mente manus, sed eam delegat in actum  
Affectus mentis, manus ergo predicat extra  
Quod mens intus habet; sic mentis lingua fidelis  
Fit manus et proprio mentem deponit in actu.

[380-475]

Harum prima studet ut themo, preambulus axi  
Et quasi uenturi quedam prefacio currus,  
Prodeat, ut tanti sit pars primeua laboris.  
Illa uigil, studiosa, libens, attenta, laborans,  
Indulgens operi, mentem deducit in actum,  
Non habitu uilis nec uultu sordida, gestu  
Degener, incompta uerbis uel barbara factis,  
Sed tamen in uultu proscibit signa laboris  
Pallor; sed modicus, qui non proscibit ab ore  
Purpureos ignes niueique coloris honorem,  
Cum flos uirgineus non deffloretur in illa  
Nec proprium frangat Veneris fractura pudorem.  
Sunt tamen in multo lactis torrente natantes.  
Mamme, subducti mentite damna pudoris.  
Dum suspirat adhuc lactantis ad ubera matris,  
Infantem cibatur iste cibus liquidoque fouetur,  
Quem solidum non pascit adhuc, dum pocula lactis  
Lactea delibat etas potuque sub uno  
Et cibus et potus in solo lacte resultat.  
Asperat illa manum scutica qua punit abusus  
Quos de more suo puerilis combibit etas.  
Verberibus sic asperat ubera, uerbera mollit  
Uerberibus. Facto pater est et mater eodem,  
Verbere compensat patrem, gerit ubere matrem;  
Officio scalpri seruit manus altera, dentes  
Liberat a scabie, dum buxum dentis in ipsum  
Vertit ebur rursusque suo candore uenustat;  
Vel si dens aliquis aliorum de grege solus  
Deuiet, excessum sub iusta lance recidit.  
Infantes docet ipsa loqui linguasque ligatas  
Solut et in propriam deducit uerba monetam.  
Candida Niliaco uestis contexta papyro  
Vestit eam; forme non detrahit illa nec illi  
Forma nocet. Cultus forme connubia grata  
Nectunt et sese proprio uenerantur honore.  
Vestibus hec inscripta manent, descripta resultant,  
Artis gramatice uirtus, natura, potestas,  
Ordo, materies, pars, finis, nomen et actor,  
Officium, species, genus, instrumenta, facultas.  
Illic imperium datur arti, regula regnat,  
Exilium patitur uicium ueniamque mereri  
Nescit. Gramatice paciens sine line repulsam,

Deffendens sese propria ratione, figura  
Excubat ante fores artis ueniamque precatur.  
Ars admittit eam, ueniam largita precanti,  
Nec fouet in gremio sed tamen sustinet illam.  
Hic docet ars, monstrat ratio, doctrina fatetur  
Littera cur simplex, cur indiuisa uocetur,  
Cur sibi mendicet elementi littera nomen,  
Vel tropice soleat elementum littera dici;  
Que pingant elementa note, que nomina signent,  
Quis claudat numerus, quis congruit ordo, potestas  
Que sit, et has species certo sub canone claudit.  
Cur tenui deiecta sono poscencia uocem  
Cetera mutescant, uerum uocalis aperte  
Clamitet et reliquis uocis spiramina donet.  
Qua ratione, quibus causis H littera non sit,  
Cum sibi pretendat scripturam, nomen et usum,  
Sed cyphri loca possideat solumque figure  
Ius sibi deffendens, elementi preferat umbram;  
Qualiter in metro secum rixata liquescat  
Vocalis uocisque suum deperdat honorem;  
Qualiter in metro natiuas littera uires  
Perdit et ad tempus langet proscripta potestas;  
Qualiter in metro uires et iura duarum  
Vendicet una sibi, redimendo damna sororum;  
Quomodo diversas species uox induit una,  
Quam gravis accentus infra demittit, acutus  
Erigit, in gyrum fert circumflexus eandem;  
Quidue sibi proprium deffendit littera quidue  
Syllaba, quid proprii iuris sibi dictio seruat,  
Quid proprie proprium nomen sibi vendicat, aut quid  
Appropriat uerbum sibi, quid pronomen adoptat,  
Quid relique partes proprio sibi iure reseruant,  
Quid nomen proprie designat, quid peregrine  
Insinuat, quid uerba notant, pronomina signant;  
Cum subiecta notent, cur sic pronomina forme  
Dedignantur opem, cur demonstratio sola  
Subueniat formeque uicem compenset in illis;  
Qua ratione regat pars partem quae regatur,  
Cur nomen substans aliis, uel cetera pingens,  
Materie gerat officium formamque figuret  
Verbi, cur redeat in se, cur transeat actus  
Fodus amicitie, cur uerbis nomina seruant

Et uerbo iunctum soluat sua federa nomen,  
Que nisi conueniant oracio muta iacebit  
Nec plenos sensus uox decurtata loquetur;  
Cur, partem capiens ab utroque, rependat utrinque  
Dictio quod debetur ei, sic reddit utrumque  
Quod neutrum, mediumque tenens mediatur utrinque;  
Cur relique partes istas uenerentur et istis  
Sese summittant nec eis seruire recusent.  
Hec artis series seriatim picta propinat  
Delicias oculis et menti fercula donat,  
Nam pictor predoctus eam descripserat, immo  
Plus pictore potens, picturaque clamitat illum.

[476-485]

Aggrediens proprium uirgo prefata laborem,  
Non honeris concussa metu, non fracta labore,  
Ad proprium desudat opus multumque rebellis  
Materies tandem sequitur superata uolentem.  
Nam predicta iacent ad tempus et ocia seruant  
Instrumenta quibus pueriles excolit annos  
Et mentita fabrum, fabrilibus utitur armis,  
Materie fluxum superat cogitque negantem  
Materiam seruire sibi lignique rigorem  
Edomat et lignum themonis ymagine uestit.

[486-513]

Hie ortu cultura nouo uitaque decenti  
Gramatice locat artifices et uiuere cogit;  
Illic Donatus rector, patronus et heres,  
Gramatice precepta docens uiciumque recidens,  
Doctrina, uerbis, studio, racione, figura  
Ampliat, extollit, ditat, deffendit, honestat  
Gramaticam nomenque sibi speciale meretur  
Vt non gramaticus dicatur, at emphasis ipsam  
Gramaticam uocat hunc, signans sub nomine numen.  
Noster Aristarcus donaria fundit in artem  
Gramaticam, cuius thesauros ampliat, auget  
Diuitias uiresque suos mensurat in illa.  
Partes grammaticae dissutas cogit in unum  
Dindimus et propriis describit singula formis.  
Gramatice tractus pertractat apostata noster,

Pigrius in dictis torporis somnia passus;  
In scriptis errans propriis, aut hebrus esse,  
Aut magis insanus, aut dormire putatur.  
Claudicat ille fide, ne fama claudicet eius  
Tractatus, uenditque fidem, ne premia libri  
Depereant, erratque fides, ne rumor aberret.  
Solos artifices quos fama beuuit adulta  
Laude nec a fama discessit gloria facti,  
Hec scriptura tenet, minime dignata fateri  
Gramaticos humiles, qui sola cortice gaudent,  
Quos non dimittit intus pinguedo medulle:  
Si foris exposcunt framenta, putamine solo  
Contenti, nequeunt nuclei libare saporem.

### LIBER TERTIUS

[1-24]

Lacius inquirens, solers, studiosa, laborans,  
Virgo secunda studet, intrat penetralia mentis  
Sollicitatque manum. Mentem manus excitat, urget  
Ingenium, sensus proprios inuitat, ut axis  
Effigiet speciem multoque secundet honore,  
Vt nec materie nec forme laude secundus,  
Cum themone suo contendens disputet axis,  
Immo precellens specie concludat eidem.  
Et decor et species perflasset uirginis artus,  
Sicut presignis uerborum disserit ordo,  
Ni facies quadam macie resparsa iaceret.  
Vallat eam macies, macie uallata profunde  
Suisidet et nudis cutis ossibus arida nubit.  
Hic habitu, gestu, macie, pallore figurat  
Insompnes animi motus uigilemque Mineruam  
Predicat et secum uigiles uigilare lucernas.  
Quodam litigio contendens, crinis in ima  
Deuiat et secum pugnans rixatur inepte;  
Nec pecten castigat eum, non forcipis urget  
Morsus, tonsure non mordet apocopa crinem.  
Dum stellis oculi certant, ardere putantur;  
Subcombunt aquile uisus et lincis adorant  
Intuitus oculos tales seseque fatentur  
Deuictos et eis sese conferre uerentur.

[25-105]

Dextra manus floris donatur honore, sinistram  
Scorpius incendens caude mucrone minatur.  
Mel sapit ista manus, fellis gerit illa saporem;  
Hec spondet risus, fletu concluditur illa;  
Hec capit, illa fugat; hec ungit, pungit et illa;  
Hec ferit, hec mulcet; hec afficit, in licit illa;  
Non sordis scalore iacens, non luce superba  
Vestis erat mediumque tenens, utrinque redacta.  
Illic arte noua pictor nouus, histrio ueri,  
Monstrat elenchorum pugnam logicesque duellum,  
Qualiter, ancipiti gladii mucrone choruscans,  
Vis logice, ueri facie truncata, recidit  
Falsa, negans falsum ueri latitare sub umbra;  
Cur pseudologicus, artis fur, artis adulter,  
Falsus et ypocrita, furtiuus predo, sophista,  
Mentitur logice uultum fretusque quibusdam  
Prodigiis, temptat pro uero uendere falsum;  
Quid locus in logica dicatur quidue localis  
Congruitas, que causa loci, quid maxima, que sit  
Vis argumenti, manans a fonte locali;  
Cur argumentum firmet locus, armet elenchum  
Maxima, que uires proprios largitur elencho;  
Quo modo materia uel forma peccat elenchus  
Et sola facie laruam pretendit elenchi;  
Cur ex premissis conclusio nata, loquendo  
Quod premissa uelint uultu signetur eorum;  
Cur liget extremos medius mediator eorum  
Terminus et firmo conflibulet omnia nexu;  
Cur decurtati species nascatur elenchi,  
Quando uel afferesis uel sincopa curtat elenchum;  
Qualiter, usurpans uires et robur elenchi,  
Singula percurrit inductio, colligit omne,  
Sed tamen inferior sese summittit elencho;  
Qualiter exemplum de se parit, immo recisa  
Parte sui, curtata parens sibi pignora gignit;  
Qualiter est munita locis ars ista localis,  
Nec tamen est conclusa loco, non quod loca querat,  
Immo locum, capiatque locos, ignara locorum;  
Quo modo diffinit, partitur, colligit, unit  
Singula que gremio complectitur illa capaci;

Quo modo res pingens descriptio claudit easdem  
Nec sinit in uarios descriptum currere uultus;  
Quid genus in species diuisum separat aut quid  
Diuidit in partes totum rursusque renodat  
Que sunt sparsa prius, diuisaque cogit in unum;  
Qualiter ars logice, tamquam uia, ianua, clauis,  
Ostendit, reserat, aperit secreta sophie;  
Qualiter arma gerit et in omni militat arte  
Ascribitque sibi causas et damna sororum;  
Qualiter hec reliquas deffendit, ditat egentes,  
Roborat inflrmas, elingues instruit, ornat  
Incomptas, torpentes excitat, armat inhermes;  
Qualiter hec purgat uicium fecemque repellit,  
Si quid inest fecis, uicium ne deroget arti;  
Qualiter incudem seruat, ne falsa monetet  
Argumenta sui furtiua fraude sophista.  
Hec expressa tenet inscriptio uestis ut artem  
Et proprios pugiles et luctam poscere credas.  
Hunc habitum, formam, speciem gestumque puella  
Pretaxata gerit, sed florem dextra resignat  
Ad presens aliisque uacat, serpensque sinistram  
Exit et ad maius urget manus utraque uotum.  
Virginis ergo manus ne torpor inhebet, adsunt  
Instrumenta fabri, manibus que Lennius ipse  
Commodat et propriis illi deseruit in armis.  
Ergo se totam concedens uirgo labori,  
Duriciem ferri temptat mollire, rigorem  
Flectere, torporem delere, fugare stuporem,  
Vt, ferri delicta domans, exemplet in axem.  
Materiam ferri uultu meliore flgurans,  
Nunc ignis demollit eam, nunc malleus ipsam  
Flectit et ad culmen ferri suspirat uterque.  
Sic ferrum ferro contendit, ut excolat illud,  
Vt socium uenerans sese ueneretur in illo.  
Post multum sudoris opus, post prelia lucte,  
Insultum ferri uincit labor improbus, aufert  
Nequiciam motumque ligat rixamque retundit.  
Materiam ferit informem uestitque figura,  
Et que iam fuerat discors, rudis, yspida, torpens,  
Temperiem, formam, cultum motumque resumit  
Materies, axisque gerit formata figuram.

[106-136]

Picture series cum fama predicat illic  
Auctores logice, quos donat fama perhenni  
Vita, nec sepelit illos quos terra sepultos  
Velat, sed recolens deffunctos suscitatur orbi.  
Illic Porfirius directo tramite pontem  
Dirigit et monstrat callem quo lector abyssum  
Intrat Aristotilis, penetrans penetralia libri.  
Illic Porfirius archana resoluit, ut alter  
Edipodes nostri soluens enigmata Spingos.  
Verborum turbator adest et turbine multos  
Turbat Aristotiles noster gaudetque latere.  
Sic logicam tractat, quod non tractasse uidetur,  
Non quod oberret in hac, set quod uelamine uerbi  
Omnia sic uelat quod uix labor ista reuelet.  
Qui tamen iccirco uestit sua dicta latebris,  
Ne sua prostituat secreta suumque relinquens  
Archanum, uulgo tandem uilescere cogat,  
Nam sua secreti maiestas uilet et omni  
Priuatur splendore sui, si publica fiat;  
Nam magestatem minuit qui mistica uulgat,  
Nec secreta manent quorum fit conscia turba,  
Nam res uulgate semper fastidia gignunt:  
Ex re uulgata contemptus nausea surgit.  
Zeno, pugil logicus, logices athleta, sophye  
Rex et ductor adest, logice sibi prelia querens;  
Illius nudat latebras ymosque recessus,  
In lucem tenebrosa refert, noua ducit in usum,  
Excusatque tropos, in normam scema reducit.  
Exerit ambiguum Seuerinus, quo duce linquens  
Natalem linguam nostri peregrinat in usum  
Sermonis logice uirtus ditatque latinum.

[137-150]

Non cultu facieque minor, non arte secunda,  
Tertia uirgo suo non fraudat munere currum.  
Euocat exterius mentem, studioque uocatam  
Destinat, atque manus animo ducente gubernat,  
Supremasque manus apponit opusque sororum  
Perficit atque semel factum perfectius ornat.  
Excolit illa gradu supremo que positiuo

Facta gradu fuerant, sed non augmenta superni  
Finis contigerant, gradibus contenta secundis.  
Nec mirum si facta prius perfectius ornans  
Perficit et factum cultu meliore uenustat,  
Cui magis arridet species et gracia forme,  
Quod comites multa pictoris preuenit arte,  
Totam pictoris artem sub pectore claudens.  
Exemplans auri speciem miraue polytus  
Arte iacet crinis, inuestit colla capillus  
In uultuque natat color igneus, ignis in ore  
Purpureus roseo uultum splendore colorat,  
Sed partim uultus candor peregrinus inheret  
Natiuoque suum certat miscere colorem.  
Nunc uario fluctu lacrimarum riuus inundat,  
Nunc uultum uarii risus aurora serenat,  
Abstergens fletus lacrimas, nunc uirgo seueros  
Pretendit uultus cum magestate rigoris,  
Nunc oculus sursum lumen delegat in imum,  
Nunc cadit huius apex, nunc totum lucis acumen  
In latus obliquans, anfractus querit et umbram.  
In dextra gerit illa tubam cornuque sinistram  
Donat et in cornu signat preludia belli.  
Claudit eam uestis que, picturata colore  
Multiplici, gaudet uarios inducta colores.  
Hic pictoris ope splendet pictura coloris  
Rectorici, sic picturam pictura colorat.  
Hic uelud in libro legitur quis finis et actor,  
Forma uel officium, que causa, quis ordo, quid artis  
Rectorice proprium, que uirtus, qualiter instans  
Nunc tonat illa minis, nunc uerbi luce coruscat,  
Nunc pluit illa preces, nunc laudibus imbuit aurem;  
Quid cause genus efficiat, quo tendat et ad quem  
Deueniens finem deliberet utile, iustum  
Iudicet, affirmet rectum, demonstret honestum;  
Que partes artis, quis earum textur ordo,  
Qualiter in primis ars inuenit ipsaque tandem  
Ordinat, eloquitur, memorat, pronunciat, ut sic  
Ordine legitimo sibimet respondeat ordo;  
Quas uel quot partes oratio rethoris in se  
Contineat uel qua serie texantur in illa;  
Quomodo principium mentem mouet, erigit aurem,  
Excitat auditum, cor iudicis apparat illi,

Quo magis attentus, docilis magis atque benignus  
Redditur auditor et mentem dedicat auri;  
Quomodo sub breuibus uerbis narratio uerum  
Explicat, aut latitans ueri sub imagine falsum;  
Qualiter in summa particio colligit omne  
Quod sequitur, dispersa legens, diffusa coartans;  
Qualiter in partem faciens assertio nostram  
Argumenta notat, probat, exprimit, astruit, infert;  
Qualiter oppositam ferit infirmacio partem,  
Destruit, infirmit, dissoluit, dissipat, urget;  
Quomodo concludens conclusio singula fine  
Legitimo claudit, sistens sermonis habenas;  
Quod factum factiue genus nomenue requirat  
Questio, diuersis rationum nixa columpnis,  
Que lis de facto certet, que questio iuris,  
Que uel quot species, que simplex queue relata  
Queue relatiue partes; cur astruat illa  
Criminis objectum, hec transferat, illa repellat,  
Comparet hec equa librans incommoda lance;  
Qualiter assumat contencio robur utrinque,  
Cum lex rixatur socie contraria legi,  
Vel contra scriptum discors sententia pugnat,  
Vel parit in scripto dubium sententia duplex,  
Vel quando nomen describi possit ut ipsum  
Nominis ambiguum descriptio certa resignet,  
Vel cum iure loci, persone, temporis ipsa  
Questio transfertur, alios motura tumultus,  
Vel si contendat contencio nescia certe  
Legis et a simili rationis robora firmat;  
Quomodo personis accomoda roboris arma  
Dant argumentis, sed falso robore nutant  
Nomen, natura, uictus fortunaque uultus  
Pretendens dubios, habitus, affectio, fallax  
Consilium, studia, casus, oracio, factum;  
Euentus que contineant, quid questio facti  
Obtineat. factio que sint adiuncta uel ipsum,  
Ut res deposcit, solito de more sequantur;  
Quis modus in factio uel que complexio facti,  
Quis locus aut tempus, occasio, causa, facultas.

[225-271]

Hanc artis gerit effigiem pars unica uestis,

Sed tamen artificum loquitur pars altera formas.  
Illic rethoricam sibi solus Marcus adoptat,  
Immo parit, quare Cyceronis filla dici  
Ars merito poterit, quam gignit Tullius, a quo  
Ars ortum ducens censerit Tullia posset.  
Illic multiplici presignit carmina flore  
Sermonisque notas Ennodius effricat omnes.  
Quintilianus adest quadam sub imagine ueri  
Causarum uelans umbras, litesque nouellas  
Fingit et in litem cogit sine lite uenire.  
Symacus in uerbis parcus sed mente profundus,  
Prodigus in sensu, uerbis angustus, habundans  
Mente, sed ore minor, fructu, non fronde beatus,  
Sensus diuicias uerbi breuitate coartat.  
Illic Sydonii trabeatus sermo refulgens  
Sydere multiplici splendet gemmisque colorum  
Lucet et in dictis depictus pauo resultat.  
Nunc tenuem gracili meditatus harundine musam,  
Nec tamen exanguis sermo ieiunia luget,  
Nunc medium, nec in ima ruens, nec in ardua turgens,  
Nunc tonat altiloquis describens seria uerbis,  
Nunc tamen inflato tumidus crepat ille boatu.  
Hoc cultu festiua suam non detrahit artem  
Virgo, sed in cultus eius factura redundat.  
Gemmis stellatam speciem themonis inignit,  
Argento sparsim themonem uestit et ipsi  
Ligni materie, que pollet honore minori,  
Extremus succurrit honor redimitque minorem.  
Ligni primeuos ortus omnesque querelas  
Splendor adoptiuus sepelit lignique uetustas  
Exulat et primos sic obliuiscitur ortus.  
Ergo themonem gemmarum sydus inaurat,  
Immo diem uerum reddit lux ista diesque  
Materialis hebet, nam lux natiua diei  
Lumen adoptiuum tantum miratur adorans.  
A simili uariis inscribit floribus axem  
Virgo, flore nouo cogens iuuenescere ferrum;  
Et quamuis ferrum soleat torpere rigore  
Frigoris et brume soleat redolere pruinam,  
Hoc hyemem nescit, frigus natale relinquens,  
Usurpatque sibi risus et gaudia ueris  
Et faciem prati pretendit ymagine florum.

Dum sic themonem gemmis et floribus axem  
Exhilarat uirgo, cumulum largita decoris,  
Pingentis calamo cedit tuba, dat loca celti  
Cornu, sicque duo sumunt sibi iura duorum.

[272-385]

Quarta soror sequitur. Quarte rota prima sororis  
Est opus: huic operas operose dedicat illa  
Et, quamuis hec quarta foret, tamen esse secundam  
Se negat, in facto contendens prima uocari.  
Ergo decora, decens, gracilis, subtilis, acuta  
Pollet et in uultu monstratur copia mentis,  
Nam uultus noster liber est et littera cordis  
Nuncius, interpret uerax animique figura.  
Solliciti uultus, animum prudentis, honesti  
Cultus, attenti speciem formamque modesti  
Hec gerit et sexum transcendit mente uirili.  
Non eius roseos color incolit aduena uultus,  
Sed color indigena regnat nec purpura uultus  
Secum furtiui patitur fermenta coloris.  
Demittit caput in terram nec lubrica sensus  
Venatur; menti cedens agit occia uisus.  
Mensam Pythagore, que menti pabula donat,  
Delicias animi sapiens, non corporis escas,  
Sustinet una manus; pugnas manus altera monstrat,  
Agmina disponit numerorum, prelia fingit,  
Indicat insultus uarios numerosque rebelles,  
Tandem subtili concludit bella triumpho.  
Ex bysso contexta, suo uestita colore,  
Vestis sidereos inuestit uirginis artus.  
Materies subtilis erat; subtilius ipsam  
Materiam precellit opus: sic preuenit usus  
Nature uires naturaque uincitur arte.  
Hic pictura loquens scripto clamansque figuris,  
Muta tamen, totam numerandi predicat artem:  
Que numeri uirtus, que lex, quis nexus et ordo,  
Nodus, amor, racio, fedus, concordia, limes;  
Quo modo concordi numerus ligat omnia nexu,  
Singula componit, mundum regit, ordinat orbem,  
Astra mouens, elementa ligans animasque maritans  
Corporibus, terras celis, celeste caduco;  
Quomodo nascenti mundo rebusque creandis

Principium, finis, exemplar, forma, sigillum  
Hic erat, ad cuius formam deitatis ydea  
Impressit rebus formas mundoque figuras;  
Quomodo principium numeri, fons, mater, origo  
Est monas, et de se numeri parit unica turbam;  
Quomodo Virgo parit, gignens manet integra, simplex  
Sese multiplicat, de sese gignit et in se  
Incorrupta manet, partus imitata parentis;  
Quis numerus numerans censetur, quis numeratus,  
Quis repetit, quis distribuit, quis colligit, aufert,  
Addit et ad primum radices extrahit ortum;  
Quo iuris merito uel qua ratione uocetur  
Femina par numerus, impar mas, uirgo Minerua;  
Cur animam, celum, rationem, gaudia, uitam  
Impare sub numero prudentum dogma figuret;  
Cur corpus, terram, sensum, lacrimabile, mortem  
Par numerus signet peioraque fata loquatur;  
Quis numerus punctum, quis linea quisue figura  
Plana uel equorum laterum, quis spera uocatur,  
Quis quadrus uel quis solidus, quis piramis aut quis  
Ciclicus est a se qui circumflectitur in se;  
Quis numerus propriis completur partibus aut quis  
Vel partes superat, uel ab hiis superatus habundat;  
Que numerum numero concordia nectit et unde  
Prouenit, ut uicibus mediis extrema ligentur;  
Cur duo quadrati medio nectantur in uno  
Vel solidos nectat mediis iunctura duobus.  
Hoc igitur cultu uirgo preculata laboris  
Pondera non fugiens, ne pondere pondus honoris  
Effugiat, dum uitat honus ne utiet honorem,  
Robur uirgineum cumulo uirtutis et arte  
Transgrediens, superat uir sensu, femina sexu:  
Sir uir, sic mulier, animo non illa sed ille est.  
Nec motu subito quod concipit exprimit actu,  
Nec quod mens gignit subitos deducit in actus,  
Nam, si conceptum pariat mens ipsa, priusquam  
Formam suscipiat conceptus mentis in aluo,  
Vel firmum capiat mentis matrice sigillum,  
Nutritumque diu rationis fomite uiuat,  
Fetus abortiuus subito decurret ad ortus,  
Non uita dignus proprio morietur in ortu,  
Vel uiuens saltem lugebit crimina forme.

Ergo legitimo ne partus mentis ab ortu  
Deuiet et nullam ducat de matre querelam,  
Mens gignit, nutrit racio, quod parturit actus  
Fabricat in thalamo mentis mentale, priusquam  
Materiale foras opus euocet. Ergo labore  
Mentis et artificis animi studiique fauore  
Erigitur rota mentalis, post materiali  
Effigie describit eam; sic mente priorem  
Concipit ut pariat, actu parit illa secundam.  
Instrumenta prius manibus perfecta relinquens,  
Ingreditur lathomi studium, domat arte rigorem  
Marmoris et primum partes complanat ad unguem.  
Scrupulus in planum descendit, surgit in equum  
Vallis et in curuum demittitur angulus, orbis  
Planiciem claudit planumque reducit in orbem.  
Sed tumor in medio surgens supereminet, immo  
Sic in supremum tendens non deserit imum.  
Partibus in curuum, ferro mediante, redactis,  
Exhaurit partes uirgo marmorque fenestris  
Distinguens, totum spaciis intersecat orbem.  
Collocat in medio centrum mediumque coronat  
Multiplici radio quem latus circinat orbis.  
Hic pictura docet auctores qui numerandi  
Inuenere uias, artem docuere, latentem  
Produxere foras, fama coluere iacentem.  
Illic Nichomachus predicta ludit in arte  
Et quasi per numeros rerum secreta prophetat;  
Illic castra tenet et eadem miles in arte  
Gilbertus saltu fallaci transilit artem,  
Pictagoras menti proprie conuiuia donans,  
Non carni, saciens animos, non corpora pascens,  
Certis ascribit numerorum legibus ortus,  
Esse, uices, causas, motus et uincula rerum;  
Indulget numeris tanto Crisipus amore  
Eius ut in uerbo numerus factoque resultet  
Semper et in sompnis illum numerare putares.

[386-468]

Quinta soror, quarte similis, gerit ore priorem.  
Pingit eam cultu factoque recurrit in illam,  
Nec uacat a simili studio sequiturque sororem.  
In studiis exemplat eam, factumque sororis

Respiciens, eius facto sua facta sigillat,  
Et quam iamdudum fecit Natura sororem,  
Fit soror in facto, cumulans ius omne sororis,  
Namque docet ratio, ius postulat, exigit ordo  
Vt fateatur opus id quod natura fatetur.  
Pro speculo uultum gerit hec preclara tuenti,  
Nam quicumque uidet uultum se uisus in illo  
Cernit et in speculo uultus epulatur ocellus.  
Dum citharam manus una gerit, manus altera cordas  
Sollicitat dulcemque soni parit illa saporem,  
Auri dans epulas oculisque prohemia somni.  
Quo cantu lapides mollescere, currere siluas,  
Flumina stare, feras mitescere, cedere lites  
Iussit Trañcius uates, fractoque rigore,  
Compulit Eumenides lacrimis Ditemque coegit  
Esse pium Furiasque suum nescire furorem;  
Quo cantu Tyrios montes in menia uertit  
Amphion, sic saxa domans quod nulla securis  
Edomuit rigidas cautes, quas sola domare  
Vox cythare potuit, tenuitque silencia ferrum.  
Insigni uestita toga se pacis alumpnam  
Esse puella docet nec querere fulgura belli.  
Illic picture ridens lasciuiam ludit,  
Scemate sub uario monstrans quid musica possit,  
Que sint uincla, quibus compagnet omnia nodis,  
Que species artis, que musica colligit horas,  
Distinguit menses, locat anni tempora, cogit  
Excursus, elementa ligat iungitque planetas,  
Astra mouet uariasque uices que musica nequit,  
Corporis humani partes mundumque minorem  
Ordinat et specie mundi melioris honorat,  
Vt sic pigmeus fraterculus esse gigantum  
Maiorisque minor mereatur ymagine pingi;  
Que partes anime sociat, que federat illam  
Carni confirmatque fidem, que musica uoces  
Diuidit et numeris uariat discrimina uocum;  
Que ratio cur omne melos dulcesque sonorum  
Cantus non gignit uox una sed unio uocum,  
Dissimilis similisque sonus, diversus et idem,  
Unicus et simplex, duplex, difformis et alter;  
Quo modo mutato se mutat musica cantu,  
Cum lacrimis risus, cum ludis seria texens.

Nunc enarmonice resonat, nunc tristia fingens  
Ditonico cantu luget, nunc cromate ludit;  
Que uox ad uocem fit duppla uel in diapason  
Quis resonet cantus, uel quis sexqualter ad illum  
Sit sonus aut illi concors sonet in diapente;  
Que uocum iunctura parit diatessaron, in qua  
Cum tribus una sonans uox litigat, immo iocatur;  
Qua ratione toni pars altera semper habundet,  
Transgrediens partem reliquam ne possit in equas  
Distribui partes tonus integer, immo parumper  
Excedat pars una toni superetque minorem  
Et proprio uincat pars altera comate limma,  
Nec tamen equali sectas libramine partes  
In duo diuisum diasymata coma recuset.  
Hoc igitur splendens habitu cultuque decoris  
Virgo nitens, usum cythare deponit ad horam,  
Dum subit officium fabri lapidemque calor  
Imperio conuertit in es, ex ere secundam  
Fabricat illa rotam, que forme laude priorem  
Demonstrans, prime se predicat illa sororem,  
Et, quamuis diuersa foret que diuidit illas  
Materies, has forma tamen facit esse gemellas.  
Illic artifices quos musica gaudet habere  
Consortes, uel quos proprii dignatur honore  
Nominis amplecti, scripture fama perhennat.  
Mellite uocis Millesius exerit usum  
Et ueluti quedam cantus encenia donat  
Auribus et tali mentes effeminat arte.  
Alter ab opposito cantus fastidia lenti,  
Obtuse uocis rixam cantusque rebelles,  
Qui magis impugnant aures quam uoce salutent  
Inuenit et nostras offendit cantibus aures.  
Nauigat in medio partemque relinquit utramque  
Gregorius noster, reffugitque pericula uocum;  
Cantus Syrenum fugiens uitansque Caribdim  
Musica letatur Michalo doctore suosque  
Corrigit errores, tali dictante magistro.

[469-512]

Instat sexta soror operi, se funditus urget  
Ad studium, studio reliquis studiosius herens.  
Certatim gestus, habitus, decor huius honorem

Accumulant pariter, eius pro laude loquentes.  
Encleticum gerit illa caput nec corporis ullam  
Iacturam patitur, sed lumen legat in unum,  
Vt quibus insideat mens, enclesis ipsa loquatur.  
Exponit mentem facies animumque fatetur.  
Virgam uirgo gerit, qua totum circinat orbem,  
Qua terre spacium metitur, qua mare certis  
Limitibus claudit, qua circinat ardua celi.  
Et quamuis eius uestis respersa minutim  
Pulueris imbre foret, non denigratur honestas  
Materie formeque decor, sed gramate multo  
Picturata nitet multoque superbit honore.  
Hic artem totam picture lingua recenset,  
Que mensurandi doctrinam fundit et usum  
Edocet, immensum claudit, spatiosa refrenat  
Paruaque consequitur, metitur magna, profundum  
Scrutatur, ualles habitat, conscendit in altum.  
Hic legitur quid sit punctum, que linea curua,  
Recta uel equalis, que circumflexa uocetur  
Quee superficies piano contenta, profundum  
Ignorans altoque carens, decurrit in equum;  
Quid sit tetragonus, quid forma triangula, quid sit  
Mensura triplici clausum, quid sterion aut quid  
Circumducta sua describat linea centro;  
Cur centrum sedet in medio, cur angulus omnis  
Aut obtusus hebet, aut sursum tendit acutus  
Obtusoque minor sit rectus, maior acuto;  
Cur iuxta leges artis normamque datorum,  
Supra grama datum proeedens tramite recto,  
Equorum laterum trigonus describitur, in quo  
Sese prosternens partem data linea donat;  
Qualiter a puncto ducatur linea cumpar  
Proposite reddensque datam; cur linea maior  
De se producat, abciso fine, minorem;  
Cur huius tyrones artis eleufuga terret  
Atque prius cogit illos exire profundum  
Quam subeant labique priusquam in arte laborent;  
Qua rationis ope sibi forma triangula formam  
Repperit equalem; cur linea partibus equis  
Scinditur, aut simili distinguitur angulus arte  
Inque duos unum diuisio diuidit una.

[513-533]

Hac igitur ueste uirgo nitet, immo uirago  
Glossat in hac mentem, uirge dans ocia, fabrum  
Induit et sparsam mentem componit in unum.  
Mente, manu, studiis inuadit, corrigit ipsam  
Plumbi materiam quam crebro malleus urget.  
Imprimit ad placitum formam, uetus exit et intrans  
Forma recens plumbi ueteres excusat abusus.  
Nascitur ex plumbo rota tertia, nata priorem  
Reddit et in uultu formam gerit illa prioris,  
Illic artifices pictoris littera clamat,  
Qui rerum tractus, mensuras, pondera fines,  
Limite sub certo claudentes, aera, celum,  
Astra, fretum, terras simili ratione tuentur.  
Hic geometra Tales sine motu preterit orbem  
Aerii tractus, sine pennis transuolat equor,  
Oceani spacium sine remige transit, in astra  
Absque gradu graditur, sine tactu tangit Olimpum.  
In seriem precepta ligans artemque retexens,  
Euclides partes artis locat ordine iusto,  
Quas ueluti quodam rationis fune ligatas  
Nectit et ex una reliquas exire putares.

#### LIBER QUARTUS

[1-69]

Ultima subsequitur uirgo, que prima decore,  
Cultu prima, gerit primam sub pectore mentem;  
Non morbo, non tristitia, non mente magistra  
Degenerat caput in terram, sed uultus in astris  
Heret et archanum celi causasque fugaces  
Venatur uisus, mentis preambulus, illi  
Nunciat et crebro mentem docet asecla mentis.  
Ori fulgor adest, qui facto fulgure nostrum  
Verberat intuitum, dum uisus fulgur adultum  
Deuitans, oculi tunicas exire ueretur.  
Implet spera manum, spere tamen umbra uideri  
Hec melius posset, que solam suscipit umbram,  
Nec proprium spere retinens consurgit in altum,  
Sed iacet in piano, nullo promota tumore.  
Vestis inardescit gemmis auroque superbit

Et splendore suo Stellas equare uidetur.  
Hic uiget, hie loquitur, hie instruit, hie docet, immo  
Dat precepta suis picture dote facultas  
Que docet astrorum leges, loca, tempora, motus,  
Signa, potestates, discursus, nomina, causas.  
Hic legitur que sit celestis spera, quis axis  
In partes speram distingat, quis polus axem  
Terminet, aut sursum tendens, aut mersus in imo;  
Cur mundi sit forma teres mundusque ligetur,  
Quinque parallelis cinctus zonisque quibusdam  
Sectus, in extremis rigeat, medio tenus estu  
Torreat atque duas laterales temperet harum,  
Excessu dupplici castigans frigore flammam;  
Cur decurtatus concludat utrumque colurum  
Circulus et neuter ad puncta priora redire  
Possit, sed nomen abscisio donet utrique;  
Cur obliqua means, decliui limite ducta  
Linea signiferi duodeno sydere celum  
Pinguat et hospicium peregrino grata planete  
Donet et ipsius proprium communicet illi;  
Qua ratione meant stelle, qua lege planeta  
Directum metitur iter, qua lege retrorsum  
Aut fugit aut certa fluxus stacione moratur;  
Qua ratione meant obliquo signa meatu,  
Cur signum proprios directius exit in ortus  
Opposite, furans nascendi tempora, tempus  
Perdit in occasu quod plus expendit in ortu;  
Quis lune motus, que solis spera, quis orbis  
Mercurii Venerisque semita, que uia Martis,  
Que mora Saturnum retinet; quo limite currit  
Stella Iouis motusque uagos quis circulus equat;  
Quis sursum tendens egressa cuspide terram  
Exit et in terra nescit defigere centrum.  
Ergo puella gerens tanti sollempnia cultus,  
Non animum sepelit nec pigra per ocia sese  
Distrahit aut animi uires effeminat, immo  
Exercet studiis totam cum corpore mentem.  
Exit spera manum, quoniam manus ipsa uocatur  
Ad noua, que cudens fabri sibi uendicat artem.  
Dum manus excudit aurum massamque figurat,  
Nascitur ex auro rota quarta, decoris honore  
Hec comites uincens, primas facit esse secundas.

Illi scripture facies applaudit et illos  
Colligit in scripto, qui, ducti remige mentis,  
In superas abiere domos secretaque celi  
Scrutati, meruere sibi deitatis honorem.  
Illic astra, polos, celum septemque planetas  
Consulit Albimasar terrisque reportat eorum  
Consilium, terras armans firmansque caduca  
Contra celestes iras superumque furorem;  
Astraque sustentat, dum sustentatur ab astris  
Atlantis uirtus, celi sine pondere pondus  
Gestat, fert celum, dum fertur dumque ferendo  
Syderibus cedit, cedenti sidera cedunt.

[70-94]

Has igitur currus partes, ut norma requirit,  
Ordo petit, poscit ratio, Prudencia dictat,  
Cudit et excudit, facit immo perficit, ornat  
Exornatque simul lima meliore sororum  
Pretaxata cohors, nullumque relinquit in istis  
Enormis forme uultum maculeue querelam,  
Apponensque manum supremam, fine beato  
Concludens operam, sparsas Concordia partes  
Ordine, lege, loco confederat, unit, adequat.  
Ergo iunctura, clauis gumfisque ligate  
Partes effigiant currum qui luce decoris  
Preradians, facie propria demonstrat in ipso  
Diuinam sudasse manum superumque Mineruam.  
Tunc Ratio monitu Nature docta docentis,  
Quinque sibi presentat equos, quos federat illa  
Federe complacito, concordi pace, fideli  
Connexu, cogitque iugo seruire iugales  
Indomitos, primis quos enutriuit ab annis  
Gracia Nature, que sic construxit equinos  
Mores, mis animi quedam uestigia donans,  
Vt, quamuis bruti, tamen hii uenerentur alumpnam.  
Insuper, in quantum patitur Natura, iugalis  
Horum quisque sue nature munera iactat:  
Nil cultus formeque nihil peregrinat ab illis  
Quod plene possit speciem cumulare iugalis.

[95-116]

Primus equus cultu, forma cursuque sodales  
Preuenit et reliquos proprio summitit honori.  
Cultus, forma, color, species, audacia, cursus  
Ditat eum nec in hec patitur sibi damna, quod illum  
Respersus candore color subrufus inaurat.  
Non meat, immo uolat nec enim discrimine passus  
Inscribit terram nec gramen curuat eundo,  
Sed celeri cursu terram delibat euntis  
Passus et in terra uestigia nulla relinquit,  
Sed leuis aura suos stupet inuenisse volatus  
Miraturque sui Boreas torpescere cursum.  
Aura cadit, lentescit auis, uolucrisque sagite  
Cursus hebescit, equi lentescunt omnia cursu.  
Anticipat monitum calcaris, sponte meatum  
Aggreditur facilique tamen frenatur habena.  
Preterea dotes natiuas aggerat ipsa  
Nobilitas generis, Pyroum namque parentem  
Iactat et in speculo prolis pater ipse resultat.  
Hunc dedit in munus Iouialis gracia matri  
Nature, cuius grates dantisque fauorem  
Accumulat doni meritum, quo munere maius  
Nil potuit tantus tante conferre parenti.

[117-137]

His igitur, uelud ipsius natura requirit,  
Nobilitatur equi species, infraque secundus  
Pollet equus specieque minor cultuque minori  
Cultus et inferior, cursuque remissior illo.  
Et quamuis minor a primo formaque secundus,  
Est tamen in reliquis maior primusque decoris Munere, sed  
reliquos superans, superatur ab uno;  
Et si non equo passu contendere primo  
Possit equo, non aura tamen fugitiua secundum Preuenit, immo  
pari cursu contendit eidem.  
Se uarians nullo prescribitur ille colore,  
Sed uultum proprii mentitur sepe coloris.  
Intonat ille fremens, hinnitibus aera crebris  
Verberat et tenuem sine uulnere uulnerat auram.  
A collo suspensa sonos crepitacula dulces  
Reddunt et multo perfundunt aera cantu.  
In uultu gerit ille patrem, dum reddit Eoum  
Gestibus huncque suum forma probat esse parentem.

Muneribus prelarga suis, hoc munere uiuo  
Nature cumulauit opes meruitque fauorem  
Numinis et proprium dono descripsit amorem.

[138-158]

Tercius a tanta speciei luce parumper  
Obliquatur equus nec enim sibi dona priorum  
Vendicat, immo minus retinens suspirat ad illos.  
Et quamuis species huius tenebrescat eorum  
Respectu, tamen ad reliquos collata nitorem  
Exerit et proprio non est fraudata decore.  
Et quamuis agili cursu uincatur ab illis  
De quibus exiuit sermo, tamen ipse triumphans  
In reliquis uictor gaudet reliquosque uolatu  
Vincit et in proprio motu concludit eisdem.  
Subtilis respergit eum mixtura coloris,  
Sed fugiens oculos, uisum color ille recusat.  
Conserti floris series quasi ueste decenti  
Induit hunc et ei proprios inspirat odores.  
Flos uiole perfundit eum, rosa debriat auras  
Affines naresque thimi saciantur odore.  
Nescia natiui choitus, equa flamine solo  
Edidit hunc, ignara maris, contenta mariti  
Aeris afflatu, Zephiro gravidata marito.  
Hoc dono Zephyrus Nature matris amorem  
Mercatus, proprium uectigal soluit eidem.

[159-189]

Degenerat polletque minus, lentescit abunde  
Quartus equus formaque jacet cursuque tepescit,  
Predictis famulans, illos quasi pronus adorat.  
Ancillatur eis nec se negat esse clientem  
Horum, sed tanquam dominis ut uerna ministrat.  
Non tamen omnino Naturam sentit auaram,  
Immo dote sua qua se tueatur habundat,  
In nullo paciens eclipsim muneris huius,  
Quo de more solet Natura beare iugalem.  
Nec uiole marcent, quamuis rosa floris honore  
Splendeat aut cultus componat lilia candor.  
Non omnis delirus erit cui sensus Vlixis  
Defficit, aut mutus quem nescit musa Maronis.

Non nitor argenti liuet, si fulgurat aurum,  
Non minus arma rapit Hector, si plenius Ajax Fulminat: a simili  
non omnis gloria quarto  
Absentatur equo, quamuis gradus ille negetur Emphatice laudis,  
in qua Natura priores  
Sistit equos. Non iste tamen deiectus ab omni  
Munere Nature queritur, sed gaudet in illa  
Fortuna qua diues eum Natura beaut.  
Glaucus ei color arridet, respergit eundem  
Imber et irriguo ros compluit imbre iugalem.  
Hoc speciale sibi retinet propriumque reseruat,  
Quod celer ad potum non obliuiscitur escam.  
Potibus indulget, pre cunctis solus ad esum  
Currit et in potus deffectus supplet equorum.  
Hunc genuit Tritonis equus iurisque paterni  
Heredem statuens, sese descripsit in illo:  
Nature Triton dans intersigna fauoris  
Contulit hoc munus, donans cum munere mentem.

[190-212]

Vix speciem deffendet equi formamque tenebit  
Quintus equus, si quis temptet conferre priores  
Isti, nam deponet equum laruaque iugalis  
Vestitus sapiet asinum, deiectus eadem  
Segnicie, plene mores exutus equinos.  
Si tamen ad primos collatio nulla redundet  
Huius equi, sed eum proprio scrutemur in esse,  
Non erit a propriis exclusus dotibus eius  
Cultus et in nullo forme pacietur abusum.  
Quintus equus quartum redolet partimque figurat,  
Sed tamen in modico quintus demittitur, in quo  
Parcius arrisit predicto forma iugali,  
Qui magis in terram sese demittit eundo.  
Nec satis ad plenum caput erigit, immo caduco  
Declinans uultu, uisus descendit in imum.  
Vestit eum color obscurus quem possidet ipsa  
Nigredo, nullum passura colorem,  
Nec plebeia uiget generis fortuna, sed Ethon  
Hunc genuit, qui Solis equos se gaudet habere  
Fratres et fratrum sese deffendit honore.  
Ops, superum genitrix, in signum federis isto  
Naturam donauit equo, quo nodus amoris

Firmior effectus illarum uota ligauit.

[213-270]

Predictos Racio, propria ratione magistra,  
Sub iuga cogit eqos, themoni federat, urget  
Effrenes, ligat indomitos frenatque uagantes.  
Primum sternit equm, stratum conscendit, habenis  
Corrigit excursus, in uirga uisitatur, instat  
Verbere, uoce, minis; ilium uix illa quietum  
Reddit, sed tandem superatus uincitur, illi  
Paret et ad nutum Racionis fessus anhelat.  
Sic primum componit eqos auriga Sophye,  
Ne, si quadrigam Fronesis conscendat, eisdem  
Indomitis, spacientur equi normamque relinquunt,  
Deuia sectentur, laxent iuga, uincula soluant,  
Cuncta fluant, nutet currus, compago uacillet,  
Cingula soluantur, laxetur nexus, habene  
Depereant et tota labet substantia currus.  
Postquam compositus ordo, per singula currens,  
Singula composuit, Fronesis conscendere currum  
Disponens, talem sese componit in usum:  
Assidet; applaudit, congaudet, complacet illi  
Curia tota simul multoque fauore recessum  
Virginis exhilarat, reditus felicius omen  
Orat et euentus reditu meliore serenos.  
Oscula multiplicat repetens et in ore sigillans  
Imprimis expresse; complexu brachia nectens,  
Colla ligans animoque simul cum uoce salutans,  
Illam congeminans iterat repetitque salutem.  
Tunc monitu Racionis adest Prudencia; currum  
Conscendit currusque decor cumulatus habundat  
Plenius et roseo flammatur sidere uultus.  
Instat equis Racio; uirga dictante, iugales  
Aggrediuntur iter. Currus subtollitur, exit  
Terras et tenuem currens euadit in auram.  
Aeris aggrediens tractus Prudencia caute  
Singula disquirit animo que uendicat aer  
Ipse sibi, scrutatur eum penetratque fugacem.  
Inquirat que materies, que nubis origo,  
Quomodo terra madens proprio sudore resudat  
In nubes celo que suos componit amictus;  
Cur Phebus sitiens estuque caloris hanelus,

Haurit ab Oceano potus, sua pocula uertit  
In nubes, crasso suspendit in aere nimbi  
Vasa, cyphos ymbris uarii pluuięque lagenas;  
Qualiter ignis hebet moriens in nube paritque  
Fulmina, dum moritur, sic morte nocencior instat  
Quam uita, uiuusque nequit quod mortuus infert;  
Vnde trahunt ortum uenti, que semina rerum  
Inspirent motum uentis causasque mouendi;  
Cur Auster pluuias, pluuię pincerna, propinat  
Terris et plene largitur pocula mundo;  
Qualiter austrinos Boreę sitis ebibit imbres  
Emundatque uias pluuiis quasi scopa uiarum;  
Qualiter agricola Zephyrus sine uomere terram  
Excolit et florum segetes extollit in ortus;  
Cur uolucris celeri pennarum remige tuta,  
Plumas in remos, alas in carbasa fingens,  
Transmeat aerium pelagus quasi nauis ymago  
Et sine naufragio talem pertransit abyssum  
Tuta, nec in tali pelago timet illa Caribdim.

[271-331]

Aeris occultos aditus, secreta, latebras  
Altius inquit Fronesis sensuque profundo  
Vestigans, uidet intuitu meliore uagantes  
Aerios ciues, quibus aer carcer, abyssus  
Pena, dolor risus, mors uiuere, culpa triumphus.  
Quorum mens, humili liuoris lesa ueneno,  
In genus humanum uirus transfundit, ut ipsum  
Consimili sanie morboque laboret eodem.  
Hii sunt qui semper in nos armantur, inhermes  
Deiciunt, uincunt armatos, rarius ipsi  
Cedunt, sed uicti nequeunt iterare duellum,  
Qui, uelud aereo uestiti corpore, nostram  
Mentiti speciem, multo phantasmate brutos  
Deludunt homines, falsi uerique sophyste.  
In tenebris lucem simulant, in lite quietem,  
Abscondunt sub pace dolos, in felle figurant  
Dulcia, sub specie recti uiciata propinant.  
Hos Deus esse deos fecit, quos lumine uero  
Vera dies fudit et quos ab origine prima  
Vestiuit deitatis honos; qui luce relicta  
In tenebras adiere suas; qui fonte relicto

Inferni petiere lacus; qui, ueste decoris  
Exuti, uestem gemitus saccumque doloris  
Iniecere sibi; qui, maiestate superna  
Deiecta, sine fine sibi meruere ruinam.  
O grauis euentus, casus miser, unica pestis!  
Iam seruit qui liber erat, mendicat habundans  
Qui fuit, exilium patitur qui primus in aula  
Regnabat, patitur penas a rege secundus.  
Hoc casu fit gemma lutum, fit purpura saccus,  
Lux tenebre, species confusio, gloria casus,  
Risus tristities, requies labor, alga iacinctus.  
Celestis sic stella cadit, sic Lucifer, ortus  
Nescius, occasu premitur, sic ciuis Olympi  
Exulat eiectus nec temperat exulis omen.  
Spes reditus, spes omnis abest ceditque timori.  
O fastus uitanda lues, fugienda Caribdis,  
Culpa grauis, morbus communis, publica pestis,  
Ianua peccati, viciorum mater, origo  
Nequicie, semen odii, uenacio pugne!  
Que cadit ascendens, elata perit, peritura  
Erigitur, promotu ruit, ruitura tumescit.  
Que se ferre nequit, supra se lata, ruinam  
Infra se patitur nec sese sustinet, immo  
Mole sua premitur, proprio sub pondere lapsa.  
Extra se cogit hominem se querere, de se  
Exit homo, factusque sibi contrarius a se  
Discrepat oblitusque sui se nescit et ultra  
Transgrediens euadit adhuc, plus esse laborans  
Quam sit, nec propria contentus origine, sese  
Esse cupit maior et se superare laborat;  
Quod petit amitens, perdens quod postulat, optans  
Quod sibi mentitur, falsum uenatur honorem.  
Hec pestis rectum uiciat, deturpat honestum,  
Fermentat mores, iustum fugat, utile perdit.  
Hec saliuca rosas, hec nubes nubilat astra  
Virtutum, cuius tenebris paciuntur eclipsim.  
Hac lue celestis regni proscriptus ab aula,  
Delictum luit exilio penaque reatum  
Angelus, a propria deiectus sede, tumore  
Fractus, deiectus fastu, liuore solutus.

Aeris excurso spacio, quo nubila celi  
Nocte sua texunt tenebras, quo pendula nubes  
In se cogit aquas, quo grandinis ingruit imber,  
Quo uenti certant, quo fulminis ira tumescit,  
Ethera transgreditur Fronesis, quo gracia pacis  
Summa uiget, quo grata quies, quo graciosior aura  
Cuncta fouet, quo cuncta silent, quo purior ether  
Ridet et expellit fletum, quo nubilus aer  
Ingemit et totus archano lumine floret.  
Etheree lucis superatis tractibus, illa  
Alcius ingreditur spacium, quo splendor et ignis  
Iura tenent, lux grata micat, sed coniuga luci  
Lucis blandicias retrahit uis ipsa caloris.  
Hic rerum nouitas, rerum decus, unica rerum  
Forma, decor mundi uisum demulcet euntis  
Virginis et cantus species noua debriat aurem,  
Sed parco tamen auditu sonituque minore  
Concipit illa sonum, certa tamen imbibit aure,  
Qualiter iste sonus cythare celestis obesis  
Vocibus expirat, ubi lune spera remisso  
Suspirat cantu, rauce sonat, immo sonando  
Pene silet, languetque sonans, neruique iacentis  
Inferius gerit illa uicem, cordamque minorem  
Reddit et in cythara sedere uix illa meretur.  
Hic uidet explicito uisu Prudencia lune  
Detrimenta, uices, cursus, momenta, labores,  
Quomodo iunctus ei Phebus depauperat illam  
Luce, uel econtra Phebo furatur honorem  
Luminis et populos fallaci nocte timere  
Cogit et effigiem noctis sine nocte figurat;  
Humores cur luna parit, cur equora lune  
Detrimenta luunt uel eadem diuite gaudent;  
Quid notet in luna lune nota quidue notando  
Signet, nec tenuem possit delere lituram  
Splendoris cumulus, dum fonti luminis instat  
Parua lues, nec ei dignatur cedere, cum quo  
Litigat et radio lucis magis umbra diescit.

[369-392]

Alcius euadens, uirgo conscendit in altum,  
Sol ubi iura tenet, ubi solis cereus ardet  
Et lucis scaturit fons uiuus, uena caloris

Manat splendorisque noui thesaurus habundat.  
Illic uirgo uidet que sit uia, semita, cursus  
Solis et unde sibi sumat fomenta uigoris  
Etheree lucis genitor, fons, mater, origo;  
Qualiter in stellis regnans artansque planetas  
Imperio seruire suo, nunc stare meantes  
Cogit, nunc tumidos sectari deuia sola  
Maiestate iubet, nunc libertate meandi  
Concessa motus, reddit sua iura planetis;  
Qualiter alternans uultus erroris in ortu  
Fit puer inque die medio iuueneseit adultus,  
Mentiturque uirum tandem totusque senescit  
Vespere: sic uarias species etatis ad horam  
Sol prefert unusque dies complectitur eum.  
Iam lune sonitum fastidit uirginis auris  
Quam dulcis meliorque sonus seducit, inescans  
Aurem, nec cantus memorem sinit esse prioris.  
Hunc cantum Syrena parit, que solis adheret  
Motibus et cytharam uocis dulcore fatetur.  
Vox omnis miratur eam, ueneratur adorans,  
Tociusque sonus cythare suspirat ad illam.

[393-413]

Egrediens solis regnum maturat in altum  
Gressus uirgo suos, sed gressus impedit ipse  
Limitis anfractus anceps, multeque uiarum  
Ambages; tandem superato calle, laboris  
Pondere, cautele studio, regione potitur  
Qua Venus et Stilbons complexis nexibus herent.  
Illic, precursor solis precoque diei,  
Lucifer exultat, terris solacia lucis  
Presignans, ortuque suo preludit ad ortum  
Solis et auroram proprio predicat in ortu.  
Gressibus hiis Stilbons comes indiuus adheret,  
Tanquam uerna sui comitans uestigia solis,  
Obnubensque comas radiis solaribus, ignes  
Temperat et solis obnubilat astra galero.  
Speraque Luciferi motu leuis, ocior aura,  
Motu parturiens sonitum, lasciuit acuta  
Voce, nec in cythara Veneris plebea putatur  
Musa, sed auditis assensum iure meretur.  
Voce pari similique modo cantuque propinquo

Mercurii Syrena canit Venerisque camenam  
Reddit et ex equo sonitu citarizat amico.

[414-462]

Progreditur Fronesis, flammata palacia Martis  
Ingrediens, stupet insultus irasque caloris  
Quem parit ille locus qui, totus in igne uaporans,  
Nil nouit nisi feruores ignisque procellas.  
Non ibi luget hyems, non ueris gracia ridet,  
Non tumet autompnus, sed tantum fulminat estas.  
Imperat hic Mars igne calens, fecundus in ira,  
Bella serens siciensque lites nostrique sititor  
Sanguinis, excuciens pacem fedusque recidens,  
Qui regni uiolare fidem, mutare potentes  
Gaudet, flammantis uestitus crine comete,  
Qui parat arma uiris, cogit sperare furentes,  
Seminat insultus, parit iras, laxat amores.  
Quid gerat interius facies docet ipsa, rubore  
Predicat interni rabiem pestemque furoris;  
Tabe sua uiciat comitem, sociumque planetam  
Vel seuum seuire docet, uel forte benignum  
Nequicia docet esse trucem leditque ueneno.  
Cuius spera ruens tonantis more tonando  
Clamat et altisonos resonat clamore boatus.  
Alcius exclamat reliquis Syrena tonantis  
Martis, sed cantus dulcedo remittitur ipsa  
Tempestate soni langens, minuitque fauorem  
Asperitas, uocisque rigor fert damna fauori.

[438-462]

Et jam Lemniacos uomitus ignisque uapores  
Virgineus labor euadit nec flamma uiantem  
Contigit aut eius ausa est contingere crinem.  
Tunc Iouis ignocuos ignes, lucisque serene  
Leticiam, risusque poli pertemptat eundo.  
Hic regio stelle Iouialis lampade tota  
Splendet et eterno letatur uere beata.  
Hic sydus Iouiale micat mundoque salutem  
Nunciat et Martis iram Martisque furorem  
Sistit et occurrit tranquilla pace furenti.  
Cui si stella mali prenuncia, preuia casus

Iungitur, ille tamen inimicum sidus amicat,  
Alternansque uices, in risus tristia, planctum  
In plausus, fletusque graues in gaudia mutat;  
Vel si forte Ioui societur stella salutis  
Nuncia, stella Iouis uultu meliore salutem  
Auget et euentus melioris dupplicat omen,  
Fedus amans pacisque sator, nutritor amoris,  
Extirpans iras, proscribens bella, furores  
Compescens, delens lites Martemque refrenans.  
Qui motu generans sonitum, non uerberat auram  
Obtuso cantu, sed dulcibus allicit aures  
Cantibus et dulcem Philomenam reddit amenans  
Musa Iouis, tantoque sono letatur alumpno  
Musica que proprie thesauros aggerat artis.

[463-483]

Vlterius progressa suos Prudencia gressus  
Dirigit ad superos, superans Iouis atria cursu,  
Saturnique domos tractu maiore iacentes  
Intrat et algores hyemis brumeque pruinas  
Horret et ignauum frigus miratur in estu.  
Illic feruet hyems, estas algescit et estus  
Friget, delirat splendor, dum flamma tepescit.  
Hie tenebre lucent, hie lux tenebrescit et illic  
Nox cum luce nitet et lux cum nocte diescit.  
Illic Saturnus spacium percurrit auaro  
Motu progressuque graui longaque dieta.  
Hie algore suo predatur gaudia ueris  
Furaturque decus pratis et sidera florum,  
Algescitque calens, frigens feruescit, inundat  
Aridus, obscurus lucet iuuenisque senescit.  
Nec tamen a cantu sonus eius degener errat,  
Sed comitum uoces uox preuenit eius adulto  
Concentu, quem non cantus obtusio reddit  
Insidium, cui dat uocis dulcedo saporem.  
Hie dolor et gemitus, lacrimae, discordia, terror,  
Tristicies, pallor, planctus, iniuria regnant.

LIBER QUINTUS

[1-39]

Lucis inoffense spacium fontemque nitoris,  
Quo radiant stelle, quo certant fulgure multo  
Astra poli propriumque diem sine fine perhennant,  
Quo celi faciem depingunt sidera, uirgo  
Exhilarata subit, hausto pro parte laboris  
Pondere, letaturque poli perflata sereno.  
In stellis ibi preradiant celoque fruuntur  
Quos uel fama deos facto, uel fabula uerbo  
Effinxit, retinentque sibi sine munere nomen.  
Hic nouus Alcides celo summittitur, illic  
Perseus ardentis gladio metit ora Meduse;  
Illic ense carens, ensem mentitur Orion,  
Sub pugne facie sine bello bella minatur  
Emoniusque senex, archu dictante, sagitam  
Excitat ad motum, nullo tamen illa uolatu  
Effugit, aut monitus arcus euadit eundo.  
Hic proles Ledea micat nec pignus amoris,  
Quem prius in terris gessit, deponit in astris.  
Vertitur in sidus, stellatus sidere fame,  
Hic cuius dono medicine stella caducis  
Illuxit, contra morbos dans arma salutis.  
Ablatos redimit uultus et damna pudoris  
Parrasis in celum translata; repensat eidem  
Iupiter ablatum florem, pro flore pudoris  
Eterno largitus ei florere nitore.  
Preterea uariis stellis inscribitur aula  
Celi, quas uario titulauit nomine quondam  
Musa poetarum, ueri sub ymagine ludens.  
Signorum duodena cohors prefulget in astris,  
Ex quo fulgore nitens infraque relinquit  
Stellarum uulgus reliquasque superuenit astro.  
Hic ardet Cancer, urit Leo, Virgo resultat.  
Equat Libra diem, crudescit Scorpius, alget  
Chyron, Capra riget, diffunditur Vrna, madescunt  
Pisces, exultat Aries, vexilla gerendo  
Veris, preradiat Taurus Geminique Latones.  
Hanc celi speciem Fronesis delibat ocellus,  
Quam penetrare nequit uisus notamque requirit  
Materiem tanteque stupet miracula lucis.

[40-82]

Postquam celestes aditus celique profundum

Astrorumque uagos reditus emensa reliquit,  
Inque supercilio mundi stetit anxia, mente  
Fluctuat, in uarios motus deducitur; heret  
Mens animusque fluit, dubitat cum mente uoluntas  
Ipsa nec in certo defigitur anchora mentis.  
Namque timet dubitatque, timens ambage locorum  
Seduci, quos ulterius uia porrigit anceps;  
Que nullos hominum gressus uolucrumque uolatus  
Noscit, ab incursu rerum strepituque uiantum  
Funditus excipitur, nullo uexata tumultu.  
Hic hominis gressus nutans peccaret eundo,  
Hebrius erraret pes ipse pedisque lucerna  
Occia uisus hebens ageret, pedibusque negaret  
Ducatum, lumenque foret sub lumine cecum,  
Non quod regnet ibi noctis caligo, sed illam  
Emphatice lucis splendor purgatus inungit.  
Difficilis conscensus ad hanc facilisque recessus,  
Accessus paucis, casus patet omnibus, in quam  
Vix aliquis transire ualet, ualet omnis ab illa  
Declinare uia, que paucis peruia multis  
Clauditur, arta nimis uirtuti, larga ruine:  
Non huc nobilitas generis, non gracia forme,  
Non gaze deiectus amor, non gloria rerum,  
Non mundanus apex, non uirtus corporis, audax  
Improbitas hominis, preceps audacia tendit,  
Sed solum uirtus animi, constancia mentis  
Factaque nobilitas, non nata sed insita menti,  
Interior species, uirtutum copia, morum  
Regula, paupertas mundi, contemptus honoris.  
Difficiles igitur aditus facilemque ruinam  
Cum Fronesis uideat, magno succenditur estu  
Sollicite mentis, uictique labore iugales  
Nec iuga ferre uelint nec soluere iura magistre,  
Ignarique uie, callem mirentur ineptum  
Gressibus, et pedibus gradiendi iura negantem;  
Non Racio sursum deflectere possit habenas,  
Quas retinent instanter equi domineque repugnant  
Effrenes, ultraque negant seruire iubenti.  
Dum mentem Fronesis anceps sententia motus  
Distrahit in uarios nec pretemptare locorum  
Abdita sola potest, nisi quis premonstret eidem,  
Vel conducat eam, gressum moderatus euntis.

[83-153]

Ecce puella poli residens in culmine, celum  
Despiciens, sursum delegans lumina, quiddam  
Extramundanum toto cognamine uisus  
Vestigans, nil corporeum uenata sed ultra  
Transcendens, incorporei scrutata latentem  
Causam, principium rerum finemque requirens,  
Visibus offertur Fronesis, uisumque nitore  
Luminis offendens, mentem nouitate relaxat.  
Nec mirum quoniam tanto fulgore decoris  
Preminet ut Stellas preditet fulgure, lumen  
Lumine multiplicans et lucem luce, nec ipsi  
Lumen adoptiuum largiri censet Olimpo.  
Nil terrestre gerens facie, nil ore caducum  
Insinuans, mortale nichil genitumque puelle  
Demonstrat facies, tantum celeste quod offert  
Forma puellaris. Hanc argumenta decoris  
Esse deam monstrant, instancia nulla refellit  
Quod decor ipse probat faciesque simillima celo.  
Inflammat diadema caput quod, lampade multa  
Gemmarum radians, auro flammatur et extra  
Scintillans, lapidum duodeno sidere fulget.  
Librum dextra gerit, sceptrum regale sinistra  
Gestat et ad librum plerumque recurrit ocellus;  
Sed raro tendit ad uirgam, tandemque reuertens  
Circuit ille manum solers, ne leua uacillet,  
Succumbens honeri uirge, sceptrumque resignet.  
Claudit eam uestis auro perfusa, refulgens  
Argento, plus ueste decens habituque decenti  
Gracior et puro celi fulgencior astro,  
Quam diuina manus et solers dextra Minerue  
Texuit, ut forme nobis exponit honestas.  
Hic archana Dei, diuine mentis abyssum  
Subtilis describit acus formaque figurat  
Informem, locat immensum monstratque latentem.  
Incirconscriptum describit, uisibus offert  
Inuisum, quod lingua nequit pictura fatetur:  
Quomodo Nature subiectus sermo stupescit,  
Dum temptat diuina loqui, uiresque loquendi  
Perdit et ad ueterem cupit ille recurrere sensum,  
Mutescuntque soni, uix barbutire ualentes,

Deque suo sensu deponunt uerba querelam;  
Qualiter ipse Deus in se capit omnia rerum  
Nomina, que non ipsa Dei natura recusat,  
Cuncta tamen, mediante tropo, dictante figura  
Concipit et uoces puras sine rebus adoptat.  
Ens iustus sine iusticia, uiuens sine uita,  
Principium sine principio, finis sine fine,  
Immensus sine mensura, sine robore fortis,  
Absque uigore potens, sine motu cuncta gubernans,  
Absque loco loca cuncta replens, sine tempore durans,  
Absque situ residens, habitus ignarus habendo  
Cuncta simul, sine uoce loquens, sine pace quietus,  
Absque nouo splendore nitens, sine luce choruscans.  
Nec solum iustus uera ratione, sed ipsa  
Iusticia est, non solum lucidus ipse, sed ipsa  
Lux est nocte carens, nec solum nomine solo  
Dicitur immensus, uerum mensura caduca  
Singula describens et certis finibus aptans,  
Nec fortis sola dicti ratione sed ipsum  
Robur subsistit, eterno robore nitens.  
Solut iure potens, qui summa potencia solus  
Cuncta potest, a quo procedit posse potentum,  
Nec solum loca cuncta replet, sed singula solus  
Infra se claudit, quasi meta locusque locorum.  
Hic legitur tamen obscure tenuique figura  
Qualiter una, manens, simplex, eterna potestas,  
Fons, splendor, species, uia, uirtus, finis, origo,  
Ingenitus genitor, uiuens Deus, unicus auctor,  
Unus in usya, personis trinus, in uno  
Unicus esse manet, quem trina relacio trinum  
Reddit et in trino manet unus, trinus in uno.

[154-165]

Qua ratione Patris speculum, lux, splendor, ymago,  
Filius est a Patre Deo Deus unus et idem,  
Principium de principio, de lumine lumen,  
Sol de sole micans, splendor productus ab igne,  
A simili similis, a uero uerus, ab uno  
Unus, ab eterno nascens eternus, ab equo  
Equalis, bonus a summo, sublimis ab alto;  
Qualiter ardor, amor, concordia, forma duorum  
Spiritus est, in quo proprie Pater oscula proli

Donat et in nato sese Pater inuenit, in quo  
Se uidet ipse parens, dum de se nascitur ipse  
Alter et in genito splendet gignentis ymago.

[166-177]

Cultibus hiis afflata poli regina caduca  
Deserit atque Dei secretum consulit, heret  
Diuinis, mentem terrenis exuit, ipsam  
Haurit mente Noym, diuini fluminis haustu  
Ebria, sed potius dicatur sobria, namque  
Ebrietas nascens ex tali nectare, plena  
Sobrietate uiget nec mentem cogit ab usu  
Degenerare suo, uerum generosius ipsam  
Erigit, elimans nostre contagia sordis.  
Hanc humilis gressu, uultu submissa, modesta  
Gestibus assequitur Fronesis primoque salutem  
Delibans, tali pingit concepta loquela:

[178-264]

"O regina poli, celi dea, filia summi  
Artificis, facies nec enim diuina caducam  
Te docet, aut nostri generis defflere litturam,  
Quam probat esse deam uultus sceptrumque fatetur  
Reginam natamque Deo tua gloria monstrat,  
Cui superum sedes, celi uia, limes Olympi,  
Extramundanus orbis regioque Tonantis  
Tota patet, soliumque Dei fatumque quod ultra est,  
Me moderare uagam, stupidam rege, siste timentem  
Indoctamque doce, fluitantem corripe, tristem  
Letifica, gaudens peregrine consule, ceptum  
Perfice, nutantem firma, succurre cadenti;  
Nam uaga sum, tremebunda, stupens, indocta, laborans,  
Defficiens, ignara loci, peregrina, fatiscens;  
Que, nitens superare polos sedesque supernas  
Inuadens, penetrare Dei talamumque Tonantis  
Consiliumque Iouis nutans, uaga, sola pererrans,  
Aggredior, celique uias pertempto latentes.  
Nec tamen inconstans, preceps, improuida, casu  
Precipitante uias, istos inuado labores;  
Sed precibus cedens et tandem uelle coacta  
Nature monitu, Virtutum numine, nutu

Precipue Racionis ad hoc ego mittor, ut ipsa  
Nature summo presentem uota Tonanti.  
In multis errare manum Natura recordans,  
Erratum reuocare uolens culpasque priores  
Tergere, uel ueteres operis nouitate beati  
Excusare notas, hominem formare, beatum  
Cudere, perfectum complere, creare modestum  
Temptat, quo possit ueteres uelare reatus,  
Erranti mundo dans de tot milibus unum,  
Qui rectum sibi deffendat, scrutetur honestum,  
Damnet avariciam, diffundat munera, curet  
Excessus, medium teneat, proscribat abusus.  
Nec sine consiliis, nutu, moderamine, uoto  
Virtutum discernit opus, sed tota sororum  
Concio conceptus assensu nutrit eodem.  
Sed quoniam tantum circa terrena potentis  
Nature uiget officium languetque potestas,  
In superis nil iuris habens animamque creare  
Nescia, quam sola pictoris dextra superni  
Format et in nullo Nature iura requirit,  
Hac ratione diu nitens multumque reluctans,  
Huc agor et superos perquiro sola recessus,  
Quo possim conferre Deo quod concipit ipsa  
Nature ratio, quod uirtus optat, ut ipsum  
Velle Dei nostrum confirmet uelle precesque  
Audiat et nostris aspiret gracia uotis:  
Vt diuina manus animam demittat ab alto,  
Que sit mente sagax, uirtute referta, pudore  
Preditam, presignitam fide, pietate refulgens,  
Que, carnis uestita toga, sic uisitet orbem  
Quod facinus redimat pietas uirtusque reatum,  
Incestumque pudor, fraudem ius, gloria casum,  
Quod superet terrena domus, uis terrea, uestis  
Corporee masse, corpus mortale, potentis  
Nature ducatur opus, sic dote beatum  
Multiplici, nullo fraudatum munere forme,  
Vt jam corporeum non dedignetur habere  
Spiritus hospicium nec tantus defleat hospes  
Hospicii tabem, sed carnis regnet in aula.  
Ergo mihi describe uiam qua callis ad arcem  
Superni Iouis erigitur, nec deuia passim  
Errabunda ferar, nec nostrum deuius error

Propositum perdat, uiduans mercede laborem."  
Hiis uerbis gauisa, poli regina benigno  
Reddidit affatu quod se preberet eunti  
Consortem callisque ducem gressusque magistram.  
Sed soli Fronesi ducatum spondet et ipsi  
Consulit instanter, precepti robur eidem  
Consilio miscens, ut currum deserat, ipsos  
In celo deponat equos comitemque relinquat  
Inferius, que sit stabilis custodia tanti  
Depositi, currum sistens frenansque iugales,  
Ne si currus, equi, Racio nitantur in altum  
Tendere, nec talem dignetur habere uiantem  
Semita celestis, alios experta meatus,  
Erret equus, nutet Racio currusque uacillet.  
Explentur mandata dee uotisque fauetur;  
Stat Racio, sistuntur equi, quadriga quiescit.  
Omnibus exclusis, solum regina secundum  
Consorti concedit equum, qui parcius ipsum  
Admiretur iter nec multum deneget ipsos  
Ascensus, fractus freni melioris habena.  
Fertur equo Fronesis, se fert regina, uolatu  
Fertur equus, dea certat equo gressuque uolantem  
Preuenit et comiti pretemptat preuia gressum.

[265-277]

Hactenus insonuit tenui mea Musa susurro,  
Hactenus in fragili lusit mea pagina uersu,  
Phebea resonante cheli; sed parua resignans,  
Maiorem nunc tendo liram totumque poetam  
Deponens, usurpo michi noua uerba prophete.  
Celesti Muse terrenus cedit Apollo,  
Musa Ioui, uerbisque poli parencia cedent  
Verba soli, tellusque locum concedet Olimpo.  
Carminis huius ero calamus, non scriba uel actor,  
Es resonans, reticens scriptoris carta, canentis  
Fistula, sculptoris scalprum uel musa loquentis,  
Spina rosam gestans, calamus noua mella propinans,  
Nox aliunde nitens, lucteum uas, nectare manans.

[278-305]

Summe parens, eterne Deus uiuensque potestas,

Vnica forma boni, recti uia, limes honesti,  
Fons ueri, sol iusticie, pietatis asyllum,  
Principium finisque, modus, mensura, sigillum,  
Rerum causa, manens ratio, noys alma, sophya  
Vera, dies uerus, lux nescia noctis, origo  
Summa, decor mundi perfectus, uita perhennis,  
Nata regens, uentura serens, nascencia seruans,  
Omnia sub numero claudens, sub pondere sistens  
Singula, sub stabili mensura cuncta choercens,  
Qui rerum species et mundi sensilis umbram  
Ducis ab exemplo mundi mentalis, eundem  
Exterius pingens terrestris ymagine forme,  
Qui ueterem massam de uultus sorde querentem  
Inuestis meliore toga, formeque sigillo  
Signans, excludis nexu mediante tumultum.  
Efficiens causa, qui rem producis ad esse,  
Formalis, dum pingis eam, finalis in esse,  
Dum rem conseruans certo sub fine cohartas,  
Tu mihi preradia diuina luce meamque  
Plenius irrorans diuino nectare mentem,  
Complue, terge notas animi, tenebrasque recindens  
Discute meque tue lucis splendore serena.  
Tu repara calamum, purga rubigine linguam,  
Da bleso tua uerba loqui mutoque loquelam  
Prebe, da fontem sicienti, dirige callem  
Erranti, due nauta ratem portumque timenti  
Dona, celesti perflans mea carbasa uento.

[306-372]

Jam Fronesis, dictante dea, superauerat arces  
Sydereas, callemque nouum nodosque uiarum  
Mirans, que tante quereretur pondera molis,  
Ni proprios uisus rerum nouitate foueret  
Et proprii partem ferret regina laboris.  
Dum transit, miratur aquas, quas federat igni  
Indiuisa loci series, nec flamma liquorem  
Impedit, aut flamme certat liquor ille repugnans,  
Sed potius sua deponunt certaminis arma.  
Nec iam natiuos querunt memorare tumultus  
Quos ligat assensus discors, discordia conchors,  
Pax inimica, fides fantastica, falsus amoris  
Nexus, amicitia fallax, umbratile fedus.

Figit in hiis uisum mentemque Sophia, sagaci  
Perquirens animo quis pacem fecit adesse,  
Pax ubi nulla manet; quis Martem iussit abesse,  
Mars ubi iura tenet; quis fedus nexuit illic,  
Fodus ubi nullum; quis pacem miscuit ire,  
Litigio fedus, liti coniunxit amorem.  
Alcius inquirat Fronesis, feruencius instans,  
An liquor iste fluat, sibi quem uicina maritat  
Flamma poli flammeque truces contemperat iras;  
An nebule faciem gestans formamque uaporis,  
In speciem nubis expassus, in ethere summo  
Pendeat et donet sicienti pocula flamme;  
An glaciem gerat in specie reddatque figuram  
Cristalli perdatque suum liquor ipse liquorem.  
Sed tamen a Fronesi uiua ratione probatur  
Quod nullos illic possit torquere recursus  
Humor nec proprio ualeat discurrere fluctu,  
Cum gremium nullus ibi prebeat alueus illi,  
Nec matrix terrena sinus expendat eidem,  
Nec centrum repetens, natiuo pondere tractus,  
Humor ad ima ruat, proprie grauitatis amicus,  
Descensum cum flamma neget, sursumque manere  
Cogat aquas, supraque liget quasi carcere clausas.  
Nam qui furtiuo lapsu quasi nesciat ignis  
A superis rorem descendere, sompniat ille  
Philosophus, ratione caret falsumque prophetat,  
Occia sectatur, nubes et inania captat,  
In scirpo nodum querens, in lumine fumum,  
In piano scrupulum fingens, in luce tenebras.  
Hac eciam ratione probat quod nullus ibidem  
Exalat uapor in nebulas, nec pendulus humor  
Ethera uelat aquis, ubi nullas euomit auras  
Terra, nec ignis ibi suspendit in ethere nubes.  
Ex hiis concludit Fronesis quod celicus humor  
Cristalli retinet speciem glaciemque figurat.  
Que glacies, ignara gelu nec conscia brume,  
Estatem magis agnoscit celique calores,  
Ad uultus ignis minime dignata liquari.  
Hoc solo magis illa stupet meliusque mouetur,  
Qua nexus mediante fide, quo federe pacis  
Frigida conueniunt calidis, fluitancia pigris.  
Hic ubi nullus adest pacis mediator et omne

Fedus abest extrema ligans, quod pace reperta  
Deleat hostiles rixas pugnamque recidat,  
Defficit inquirens, querendo uincitur illa;  
Quesitu superata suo sed uicta querelis  
Deffectus queritur proprios; sic ista querela  
Questio fit, Fronesi suspiria sola relinquens.  
Nec mirum si cedit ad hec Prudencia, que sic  
Excedunt matris Nature iura, quod eius  
Exuperant cursus, ad que mens defficit, heret  
Intellectus, hebet ratio, sapiencia nutat,  
Tullius ipse silet, mutescit musa Maronis,  
Languet Aristotiles, Ptholomei sensus obumbrat.

[373-442]

Vlterius producit iter Prudencia, gressum  
Informans gressu comitis, tandemque labore  
Magno, multiplici nisu, cognamine multo  
Ascendit loca leticie, loca plena fauoris,  
Celesti loca grata Deo, loca grata Tonanti.  
Hic risus sine tristicia, sine nube serenum,  
Delicie sine deffectu, sine fine uoluptas,  
Pax expers odii, requies ignara laboris,  
Lux semper rutilans, sol ueri luminis, ortus  
Nescius occasus, gratum sine uespere mane;  
Hic splendor noctem, sacies fastidia nescit;  
Gaudia plena uigent, nullo respersa labore.  
Non hic ambiguo graditur Fortuna meatu,  
Non risum lacrimis, aduersis prospera, leta  
Tristibus in firmans, non mel corrumpit aceto,  
Aspera commiscens blandis, tenebrosa serenis,  
Connectens luci tenebras, funesta iocosis,  
Sed requies tranquilla manet, quam fine carentem  
Fortune casus in nubila uertere nescit.  
Hic sua preradiat celestis regia solis,  
Que sordes hominum, mundi contagia spernit.  
Extramundanus orbis mundique beata  
Porcio, munda magis quam mundus, purior ipso  
Puro, lucidior claro, fulgencior auro,  
Que blando splendore micat, que fulgurat igne  
Innocuo, feruore carens, fulgoris habundans,  
Blandicias splendoris habens, feruoris haborrentis  
Nequiciam, splendore fouet nec uerberat estu.

Hic ignis minus igne calet, plus igne nitescit,  
Sicque manens unus minor est et maior eodem.  
Sed quoniam totus scintillat in igne beato  
Hic locus et flamme nutu blanditur amico,  
Censetur polus empireus cui flamma benignis  
Ignibus arridet aulamque nitoribus ornat.  
Hic habitant ciues superi proceresque Tonantis,  
Angelici cetus diuinaque numina, mundi  
Rectores, turme celestes, agmina celi,  
Excubie nostri, uarius quos diuidit ordo,  
Munus et officium, uirtus diuersa, potestas  
Plurima dissimilisque gradus, distancia facti.  
Hic ardent Seraphin, flammata calore superne  
Lucis et eterni solis radiata nitore.  
Diuini fontis Cherubin saciata liquore,  
Plus sapiunt mentique Dei perfectius herent,  
Inque Tronis censura Dei librata resultat,  
In quibus ipse Deus residens examina librat.  
Nomen ab officio Dominancia numina sumunt,  
Que sicut superis cedunt, sic ceditur ipsis  
A reliquis, pariterque iubent parentque iubenti.  
Princeps turma suos disponit in ordine ciues  
Atque suis uotis astringit uota suorum.  
Aeris istius rectores, immo tyrannos  
Turba Potestatum uincit celestibus armis.  
Legibus occurrunt Nature iuraque soluunt  
Virtutes, formisque nouis antiqua reformant.  
Mistica denudat, aperit secreta, reuelat  
Abdita que magis latitant archangelus orbi  
Nunciat et celi pandit misteria terris.  
Maior in obsequiis sed ei uirtutibus impar,  
Angelice plebis exercitus omnibus istis  
Persoluit ius obsequii mundoque minora  
Predicat et uarios nobis discurret in usus.  
Hic ciues habitant suppremi regis in urbe.  
Ciuibus hiis seruanda datur respublica celi,  
Inter quos hec lex sanctitur ut imperet unus,  
Hic operetur agens, reliquis obtemperet ille.  
Quilibet in libro diuine mentis agenda  
Discit ibique legit que sint uentura, Deumque  
Consulit, in speculo deitatis singula cernens:  
Non solul tantam sibi uendicat angelus urbem.

[443-470]

Hic habitat quem uita deum uirtusque beatum  
Fecit et in terris meruit sibi numen Olympi,  
Corpore terrenus, celestis mente, caducus  
Carne, Deus uita, uiuens diuinitus, extra  
Terrenum sapiens, intus diuina repensans;  
Quem non erexit fastus, non gloria rerum,  
Non mundi deiectus amor, non lubrica fregit  
Luxuries, non luxus opum, non ardor habendi  
Succendit, non liuor edax, non anxia fedat  
Pestis auaricie, non laudis ceca cupido,  
Sed potius donauit eum Prudencia, mundi  
Contemptus, rerum paupertas arctaque uictus  
Regula, despectus carnis, deiectio uite;  
Qui calcauit opes animo uictore, malignum  
Deiecit carnemque sibi seruire coegit.  
Cetibus angelicis tales ascribit honestas  
Vite, uirtutis meritum mercesque laboris,  
Quos uel uirgineus candor uel purpura uestit  
Martirii, uel doctoris sua laurea ditat,  
Vel quos aureole munus non excipit, omnes  
Laurea communi fretos mercede coronat.  
Cum sint diuersi merito meritique resultet  
Splendor inequalis, lux dispar, gaudia cunctis  
Equa manent risusque pares, ubi dissona merces.  
Nec mirum si leticie par gracia cunctos  
Expectat, quibus una datur pro munere uita,  
In quibus ipse Deus est omnibus omnia, donum  
Et donans, uni dans plurima, pluribus unum.

[471-486]

Hic superos ciues proprio precellit honore  
Virgo que proprium pariendi lege pudorem  
Non perdens, matris meruit cum uirgine nomen,  
In qua concordant duo nomina, lite sepulta,  
Que secum pugnare solent litesque mouere,  
Nec iam discordant mater uirgoque, sed ipsis  
Litibus exclusis, se pacis ad oscula uertunt.  
Hic natura silet, logice uis exulat, omnis  
Rethorice perit arbitrium ratioque uacillat.  
Hec est que miro diuini muneris usu

Nata patrem natumque parens concepit, honorem  
Virgineum retinens nec perdens iura parentis,  
In cuius uentris thalamo sibi summa parauit  
Hospicium deitas, tunicam sibi texuit ipse  
Filius artificis summi, nostreque salutis  
Induit ipse togam, nostro uestibus amictu.

[487-543]

Hec est stella maris, uite uia, porta salutis,  
Regula iusticie, limes pietatis, origo  
Virtutis, uenie mater thalamusque pudoris,  
Ortus conclusus, fons consignatus, oliua  
Fructiferans, cedrus redolens, paradisus amenans,  
Virgula pigmenti, uinaria cella, liquore  
Predita celesti, nectar celeste propinans,  
Nescia spineti florens rosa, nescia culpe  
Gracia, fons expers limi, lux nubila pellens,  
Spes miseris, medicina reis, tutela beatis,  
Proscriptis reditus, erranti semita, cecis  
Lumen, deiectis requies, pausacio fessis.  
Hec est que primos casus primeque parentis  
Abstersit maculas, uincens uirtute reatum,  
Diruta restituens, reddens ablata, rependens  
Perdita, restaurans amissa, fugata repensans,  
Post uespertinos gemitus noua gaudia donans,  
Post mortis tenebras uite nouitate relucens;  
Cuius ad aduentum redit etas aurea mundo,  
Post facinus pietas, post culpam gracia, uirtus  
Post uicium, pax post odium, post triste iocundum.  
Vt rosa spineti compensat flore rigorem,  
Vt dulcore suo fructum radicis amare  
Ramus adoptiuus redimit, sic crimina matris  
Ista luit, matrem facit sua nata renasci,  
Vt sic munda ream, corruptam uirgo, pudica  
Effrontem, miseram felix humilisque superbam  
Abluat et uite pariat sua filia matrem.  
Huius ab imperio celestis curia pendet,  
Huius ad imperium deuota mente parata,  
Cum qua celestis regni moderatur habenas,  
Qui pater et proles eiusdem, natus et actor  
Cuncta regit, sine fine regens, quo rege triumphat  
In celo miles, in terris militat exul.

Hic est qui carnis intrans ergastula nostre,  
Se pena uinxit ut uinctos solueret, eger  
Factus ut egrotos sanaret, pauper ut ipsis  
Pauperibus conferret opem, deffunctus ut ipse  
Vita donaret deffunctos, exulis omne  
Passus ut exilio miseros subduceret exul.  
Sic liuore perit liuor, sic uulnere uulnus,  
Sic morbus damnat morbum, mors morte fugatur,  
Sic moritur uiuens ut uiuat mortuus, heres  
Exulat ut seruos heredes reddat, egenus  
Fit diues pauperque potens, ut ditet egenos.  
Sic liber seruit ut seruos liberet, imum  
Summa petunt ut sic ascendant infima summum.  
Vt nox splendescat, splendor tenebrescit, eclipsi  
Sol uerus languescit, ut astra reducat ad ortum,  
Egrotat medicus, ut sanet morbidus egrum.  
Se celum terre conformat, cedrus ysopo,  
Ipse gigas nano, fumo lux, diues egeno,  
Egrotus sanus, seruo rex, purpura sacco.  
Hic est qui nostram sortem miseratus, ab aula  
Eterni patris egrediens, fastidia nostre  
Sustinuit sortis, sine crimine criminis in se  
Deffigens penas et nostri damna reatus.

## LIBER SEXTUS

[1-72]

Postquam uirgo Dei solium sedesque superbas  
Ingrediens, uoluit noua prelibare uidendo,  
Offendit splendor oculos mentemque stupore  
Percussit rerum nouitas, defecit in illis  
Visus et interior mens caligauit ad illas.  
Sic sopor inuasit uigilem, sic somnus adulter  
Oppressit Fronesis animum, sompnoque soporans  
Extasis ipsa suo, mentem dormire coegit.  
Et jam precipitem pateretur lapsa ruinam,  
Ni comes occurrens manibus complexa cadentem  
Sisteret, et blando complexu uirginis artus  
Confortans, tantos lapsus eluderet, ipsam  
Mittibus aggrediens uerbis mentisque stuporem  
Demulcens; mens plena tamen non redditur illi.  
Sed postquam ualuit nulla ratione stuporis

Extirpare malum totamque reducere mentem,  
Vt Fronesi ferat auxilium totumque soporem  
Excuciens, reddat mentem cogatque reuerti,  
Sollicitat precibus propriam regina sororem,  
Que superum solio residens, celeste profundum  
Scrutatur solisque Dei penetralibus heret,  
Cui Racio nichil affirmat, cui sufficit ipsa  
Credulitas et sola Fides, Racione remota.  
Ipsam namque Fidem Racio non prevenit, immo  
Ipsa Fides hanc anticipat Fideique docenti  
Obsequitur tandem Racio, sequiturque docentem  
Articulos Fidei, diuinaque simbola carnis  
Inserit hec, scribens animo quod arundine pingit.  
Purpureis clauata notis niueumque colorem  
Intermixta rubet uestis candore represso,  
Qua mulier predicta nitet, cultusque fatetur  
Arbitrium mentis, mens ipsa uidetur in illo.  
Picture cedit uestis que tota figuris  
Scribitur et forma pretendit scripta libelli.  
Hic renouat ueteres uiuens pictura magistros,  
Per quos nostra fides totum diffusa per orbem  
Claruit et laudum titulis preclara refulsit.  
Hic Abraham, nostre fidei pater, exuit actus  
Patris, dum summo Patri parere libenti  
Contendens animo, nato pater esse recusat,  
In quo discordes Natura Fidesque duellum  
Exercent unamque trahunt in dissona mentem;  
Nam Natura docet genitorem parcere nato.  
Econtra stat firma Fides que spernere natum  
Imperat, ut summo faueat Natura parenti.  
Quod non uult cupit ergo pater; nunc parcere temptans,  
Nunc offerre uolens, tandem negat ipse quod optat.  
Ergo succumbit Fidei Natura dolensque  
Cedit uictrici, quod non uult uelle coacta.  
In robur Fidei, uirtutum luce choruscat  
Petrus et ipsius uirtus splendescit in umbra.  
Armatus uite meritis et dote sophye,  
Blandiciis, racione, minis, uirtutibus instat  
Paulus et introitum fidei gentibus offert.  
Nec solum signis, uerum racione, rebelles  
Vincit nec satis est concessa calle meare:  
Plus cupit atque uiam gaudet racione parare.

Illic blanda, minas, ergastula, uerbera, mortes  
Expugnat, clipeo Fidei protectus et armis  
Iusticie, superatque suos Laurentius ignes.  
Par pugne meritis et eisdem miles in armis  
Mundum deuincens, Vincencius omnia uictor  
Calcat et in uiuos pugnans in morte triumphat.  
Hunc habitum, quamuis scripture pingat honestas,  
Nulla tamen uestem lasciuia deprimit, immo  
Talis erat qualem matrone postulat etas,  
Que senii metas attingit plena dierum,  
Canicie respersa caput seniique pruina.  
Nec tamen illius faciem matura senectus  
Exarat in sulcos; facies discordat ab euo,  
Que iuuenile docet eum, contraque loquuntur  
Cani, cum canis sic uultus gracia certat.

[73-184]

Hec mulier, motu proprio precibusque sororis  
Tacta, mouet gressus illuc ubi lesa sopore  
Letargi languet Fronesis mortisque figuram  
Exemplans, moritur uiuens et mortua uiuit.  
Sed postquam ueniens signis dictantibus illam  
Agnouit, uidit stupidam stupuitque iacentem.  
Hos casus miserata dolet mentisque rigorem  
Exiit, in gemitus erumpens, fractaque parumper  
Magestas animi molescere cogitur, exit  
Duricies et sola tenet miseracio mentem.  
Hec igitur magis accedit propiusque iacentem  
Visitat et querit languoris semina, temptat  
Cuncta, locum, tempus, causam, sinctomata morbi  
Cautè disquirens, cuius uestigia tandem  
Inuenit et Fronesim letargi sompnia passam  
Noscit, ut exterius languoris signa fatentur.  
Inuenta racione mali morbique reperta  
Materie, disquirat adhuc que causa salutis  
Languoris causas ualeat secludere, pestem  
Perdere, supplantare luem morbumque fugare.  
Ergo minis, precibus, plausu, clamore, soporem  
Expugnare parat, sed talis sompnus obaudit.  
Nec mirum si morbus ad hec contempnit abire.  
Non erat iste sopor somni, sed mortis ymago,  
Que uite tenebrat lucem uitamque soporat

Plus sompno, sed morte minus, maiorque sopore,  
Morte minor, sed fida tamen prefactio mortis.  
Cum talis nequeat medicina refellere morbum  
Nec tantum ualeat morbi superare uigorem,  
Celesti confecta manu, condita sapore,  
Mellifluo gustu mellita, suavis odore,  
Secretas redolens species, terrena repellens  
Condimenta, nouum celi thimiama propinans,  
Exquisita datur languenti pocio, totum  
Que corpus peragrat, uitalia circuit, intrat  
Venas, disquirit neruos penetratque medullas.  
Huius ad aduentum Fronesis sibi redditur, ad se  
Dum redit, et totus mentis seducitur horror.  
Hic stupor ipse stupet medicinam posse; fugatus  
Miratur talem medicine cedere morbum,  
Sed quamvis oculus mentis resplendeat intra,  
Languescit tamen exterior nec ferre nitorem  
Sustinet empireum nec tantum fulgur Olympi.  
Ergo suam solers matrona recurrit ad artem  
Et presigne, decens, rutilans, immitabile, tersum,  
Grandi diffusum spacio scriptumque figuris  
Presentat Fronesi speculum, quo cuncta resultant  
Que locus empireus in se capit, omnia lucent,  
Que mundus celestis habet, sed dissona rerum  
Paret in hiis facies. Hic res, hic umbra uidetur,  
Hic ens, hic species, hic lux, ibi lucis imago.  
Detinet hoc speculum mentem uisumque Sophye  
Sistit, ne maior oculis lux obuiet, illos  
Offendens, uisumque simul cum mente fatiget.  
Hoc speculum mediator adest, ne copia lucis  
Empiree, radians uisum, depauperet usum.  
Visus in hoc speculo respirat, lumen amicum  
Inuenit et gaudet fulgens cum lumine lumen.  
Cernit in hoc speculo uisu speculante Sophia,  
Quicquid diuinus in se complectitur orbis.  
Dum noua queque uidet, miratur ad omnia, gaudet  
In cunctis, nouitas noua rerum gaudia gingnit;  
Eius cum uisu mens delectatur et omnes  
Eroris pellit nebulas et gaudia mentem  
Perfundunt; perit omne sui sintoma doloris.  
Si qua minus plene cognoscit, plenius illam  
Asistens matrona docet suppletque minorem

Intuitum panditque latens aperitque reclusum.  
Hic uidit angelice plebis superique senatus  
Miliciam, palmanque simul dulcesque triumphos  
Sanctorum, meritum dispar fructusque laborum.  
Virginis illius meritum miratur, adorat  
Partum quod peperit, non marcescente pudoris  
Flore, nec atrito feruente libidinis estu.  
Conceptus partusque modum floremque pudoris  
Intactum stupet admirans, non inuenit unde  
Sit matri que nulla uiri commercia nouit.  
Confugit ad logice leges; hec ergo parentis  
Iura negat, cui uirginitas concedit honorem  
Virginis, a simili uult supplantare pudorem  
Virgineum matri, quam disputat esse parentem  
Partus, et ad matrem natiuo iure refertur.  
Ista tamen ratio nutat, cum uirgine matrem  
Inuenit et logices uidet argumenta iacere.  
Amplius admirans, magis hesitat, amplius herens,  
Inquirit quo iure poli, qua lege beata  
Nata patrem, terrena Deum, casura manentem,  
Flos cedrum, sidus solem, scintilla caminum  
Proferat, et mellis desudet petra liquorem.  
Miraturque Deum nostram uestire figuram,  
Et nostras habitare casas flammantis Olympi  
Rectorem, floremque rose latitare sub alga,  
Et gemmam uestire lutum, uiolamque cicuta  
Velari, uitamque mori, tenebrescere solem,  
Qui gunfi, que iuncture, quis nexus et unde  
Connectant humana Deo, diuina caduco  
Consociant hominique Deum, quis federet ordo.  
Singula dum Fronesis miratur et omnia temptat  
Vestigare sue rationis legibus, illam  
Asistens matrona monet, ne sompniat illic  
Humanas leges mundanaque federa, cursus  
Nature nostrasque uices, ubi nulla potestas  
Illius, sed cuncta silent decreta, pauescunt  
Leges, iura stupent, ubi regnat sola uoluntas  
Artificis summi, que uult a canone nostro  
Excipiens, ubi iura pauent et regula cedit  
Artifici, canonque silet, dictante magistro.  
Non Racio sed sola Fides ibi queritur, illic  
Transcendit causas celestis causa, minores

Exuperat leges lex summa et federa legum.  
Ergo sufficiat Fides, disquirere cesset  
Hic Ratio, sistatque Fides Racionis habenas.

[185-272]

His monitis fert assensum Prudencia, cedit  
Doctrinae, sequiturque Fidem totumque superno  
Deputat aetori quod nostram uincere legem  
Cernit et excepti iuris ratione moueri.  
Hiis edocta uiam maturius arripit, eius  
Informat regina gradum gressumque sigillat  
Incessu proprio, ne locus abditus, anceps  
Callis, distortus limes, uia dissona gressus  
Virginis impediatur, comitem sibi destinatur illam,  
Que Fronesi mentem proscriptam reddidit, eius  
Resituens uisum, cui cessit abusus morbi,  
Quam uia nulla latet, nullus locus abditur illi,  
Non delirus obest limes, non semita fallit.  
Hiis comitata uie Fronesis securius instat  
Ancipitesque uias transit, loca dissona, calles  
Ignotas; nec iam posset superare locorum  
Anfractus; sed nutanti soror utraque uires  
Suppeditat, firmatque gradum, gressusque recidit  
Pondus, et extenuans penam fastidia tollit.  
Oblatum Fronesi uisum deffendit ab omni  
Luminis occursum speculum, ne debriet illam  
Celestis splendor oculosque reuerberet ignis.  
Tandem fessa, tremens, admirans, uirgo dietam  
Explet et eterni supprema palacia regis  
Intrat et expleti superata mole laboris  
Letatur; sed cuncta stupet que nuncius offert  
In speculo uisus, ubi nil mortale, caducum,  
Defficiens, terrestre micat, solumque refulget  
Eternum, celeste, manens, immobile, certum.  
Hic uidet ingenitas species, speculatur ydeas  
Celestes, hominum formas, primordia rerum,  
Causarum causas, rationum semina, leges  
Parcarum, fati seriem mentemque Tonantis,  
Cur Deus hos reprobatur, illos predestinat, istum  
Preparatur ad uitam, sua munera substrahit illi;  
Cur alios humiles paupertas cogit, egenos  
Opprimit et solum lacrimis saciatur egestas;

Cur aliis prediues opum pluit alueus omnes  
Diuicias diuesque natat fecundus in auro;  
Cur istos ditat sapiencia, nubilat illos  
Sensus inops, animus pauper, mendica uoluntas;  
Cur forme species purgata serenat Adonim,  
Dauus abusuam speciem gerit, Hector in armis  
Fulgurat, ingenii radio scintillat Vlixes;  
Cur Cicero rethor, cur Tiphis nauita, pictor  
Milo, pugil Pollux, rigidus Cato, Naso poeta.  
Nec hec sola fauent Fronesis conspectibus; ultra  
Progrediens uisus alia nouitate uidentem  
Demulcet, redituque suo miranda reportat.  
Hic uidet irrigui fontis radiare nitorem  
Qui prediues aquis, reliquo conspectior anne,  
Sidera luce domat, precellit mella sapore.  
Cuius deliciis cedit paradisus, odore  
Balsama uincuntur, nardus summittitur illi.  
A quo procedens riuus non immemor horum  
Que fons ille gerit, totum sibi fontis honorem  
Assumit, fontique pari respondet honore;  
Non tamen irriguum minor afflat gratia fontem.  
Ergo fons riuum, riuus cum fonte fluentum  
Producit, retinens fontis riuique saporem.  
Cum sint diuersi, fons, riuus, flumen in unum  
Conueniunt eademque trium substancia, simplex  
Esse, sapor similis, color unus, splendor in illis  
Vnicus et uultus horum conformis et idem  
Ad speciem fontis sol uincens lumine solem.  
Hic radium fundit quem sol mundanus adorat,  
Cui celum stelleque fauent et supplicat orbis.  
Occasum nunquam patitur sol iste, nec ullam  
Sustinet eclipsim, nec nubis nubila sentit,  
A quo procedens radius Solaris adequat  
Luce patrem loquiturque suo splendore parentem:  
Idem sol, species eadem, lux una, coeuus  
Splendor, nequaquam proprio declius ab ortu,  
Sol alius sed non aliud, sol unus et unum  
Cum gignente manens, lux luci consona, fulgor  
Fulgori splendorque sui non immemor ignis.  
De se producit radius cum sole calorem  
Qui mulcens urit, urendo mulcebris et ardens  
Mitigat, incendens demulcet, temperat urens.

Iste calor siccatur uiciorum flumina, sordes  
Purgat et a uicio uirtutis decoquit aurum.  
Iste calor perimit peccati frigora, flammam  
Ire, torporis hyemes Venerisque calorem.  
Sic calor expugnat ignem, sic flamma repellit  
Flammam, sic estus estum splendorque caminum.  
Pullulat in flores mens isto tacta calore,  
Et terram mentis uirtutum flore beato  
Purpurat iste calor, dum uer celeste reducit.

[273-295]

Hec mirata diu Fronesis multumque retractans  
Singula, que uisus pregustat, freta sororum  
Ducatu, summi regis conscendit in arcem  
Qua residet rex ipse poli, qui cuncta coerces  
Legibus imperii, qui numine numina celi  
Constringit, cuius nutu celestia nutant.  
Hec igitur uicina Deo uix sustinet eius  
Immortale iubar, ius magestatis inundans,  
Expectat lumen, sed eam deffendit ab isto  
Fulgure planicies speculi, quam uisibus offert  
Illa suis, lucem speculo mediante retardans.  
Tunc uirgo, genibus flexis et supplice uultu,  
Submisso uocis modulo gestuque timentis  
Supplicat eterno regi, uerbumque salutis  
Prelibat, mixtaque tremunt formidine uerba.  
Sed superum genitor, reddens sua iura saluti,  
Ergit hanc et stare iubet motusque timoris  
Sistere, ne terror animum uocemque retardet.  
Ergitur mentemque regit, partimque retardat  
Virgo metum, stat mens cum corpore, corporis equat  
Mens erecta situm. Sic mens submissa resumit  
Vires, erectam mentem sua uerba sequuntur.  
Exit in has uoces animus uerbumque redundat:

[296-381]

"Si nostros gemitus et nostre tedia sortis,  
Mundanum casum mundanaque fata, caducos  
Ortus, instantes obitus uiteque propinquos  
Lapsus et nostre pensemus originis omen,  
Que nostrum tantis fastibus inuadat ut ante

Conspectum faciemque Dei presumat habere  
Colloquium noctisque lues cum luce loquatur,  
Conueniat regem seruus pauperque potentem,  
Factorique suo moueat factura querelam?  
Sed quia te fontem pietatis nouimus, a quo  
Liuoris stimulum bonitas innata relegat,  
Cuius iusticie pietas adiuncta rigorem  
Temperat et multum discurrere non sinit illam,  
Ad te confugimus proscripse quas fugat orbis,  
Persequitur mundus, homo respuit, improbat omnis  
Viuens, sicque tuis, si fas est dicere, mundus  
Legibus excipitur, dum nostri jura nefandis  
Actibus expugnat, etiam tibi bella minatur,  
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.  
Hos casus Natura uidet lapsusque cadentis  
Mundi, uirtutem uicio succumbere, fraudi  
Fedus, amiciciam liti pacemque furori.  
Hos gemit excessus, errores luget, abusus  
Deplorat mundumque dolet sub nocte iacere.  
In multis etiam damnat sua fata, reatus  
Excusare uolens facto meliore nouisque  
Artibus, atque noua medicina tergere morbum.  
Qualiter ergo malum superet morbumque recidat,  
Putrida membra secet, ne pars sincera trahatur,  
Occurrat uicio, ne totum diruat orbem,  
Vix cognoscit adhuc, sed tandem freta sororum  
Colloquio, meliore uia procedit, in istud  
Consilium ueniens, ut totum uiribus unum  
Cudat opus, per quod proprio succurat honori.  
Quo ueteres hominum possit pensare ruinas,  
Vult hominem formare nouum, qui sidere forme  
Et morum forma reliquos transcendat, et omnes  
Excessus resecans, regali limite gressum  
Perducat, mediumque tenens extrema relinquat,  
Vt saltem mundo sydus prefulguret unum  
Qui iacet errorum tenebrosa nocte sepultus,  
Vt sic respiret uirtus, excuset in isto  
Erores Natura suos, et conferat uni  
Quod multis conferre nequit meritumque fauoris  
Et laudum titulos saltem lucretur in uno.  
Que iacet in multis dampnata suumque decorem  
Amittit, dum sola sui jam restat ymago,

Sed nullo firmata manent concepta tenore,  
Ni tua conceptis applaudat gracia, ceptum  
Roboret atque suo confirmet munere uotum.  
Nature langueret opus penitusque iaceret  
Incultum, ueteris retinens fastidia masse,  
Ni tua mature firmaret dextera factum  
Infirmitate manum regeret, conduceret huius  
Scribentis calamum, lapsum suppleret euntis.  
Corporis effigiem sibi deputat, exigit a te  
Quod superest Natura bonum munusque quod ipse  
Solutus habes, animamque petit que sola superni  
Postulat artificis sensum limamque requirit.  
Nostras namque manus terrestris fabrica tamen  
Exposcit, sed eas anime celestis origo  
Ignorat, solique suum sibi deputat ortum.  
Ergo tuo nutu, numen celeste caduca  
Visitet et corpus celestis spiritus intret;  
In terra positus, in celo mente beata  
Viuat et in terris peregrinet corpore solo,  
Virtutum diues opibus, fecundus amore  
Celesti, carnisque domet ratione tyrannum,  
Teque tuum fateatur opus, quis fecerit actor  
Predicet artificemque suum factura loquatur.  
Sic ad nos diuinus homo descendat, ut ipsis  
Virtutum titulis aliorum moribus instet.  
Te saltem moueant Nature dampna, pudoris  
Exilium, iactura boni, detractio morum,  
Error honestatis, fidei proscriptio, legum  
Contemptus nostreque preces; si pondera rerum  
Vel momenta sumus, noli confundere dudum  
Confusas: fuimus et nos quandoque beate.  
Si te nulla mouent rerum discrimina, saltem  
Te gratis moueat tua gracia, suscipe uota  
Que damus et precibus deuotis pondera dona.  
Si nos a patriis proscriptas sedibus omni  
Destituis uoto, deserte uincimur, omne  
Perdimus officium nostrasque relinquimus artes".  
Hiis donat precibus assensus arbiter aule  
Celestis, mentemque foras uox prouocat ista:

[382-424]

"Virgo parens rerum, superum germana meique

Filia, celestis ortu, tamen incola terre,  
In terris que sola sapis diuina meeque  
Exemplum deitatis habes, fastidia mundi  
Que releuas fletusque tuo solamine tergis,  
Non tua degenerat a summa mente uoluntas,  
Nam patris ad uotum suspirat nata; parentem  
In uoto sequitur patri non dissona proles.  
Hoc mihi iam pridem Racio dictauit ut uno  
Munere respicerem terras mundumque bearem  
Numine celestis hominis, qui solus haberet  
Tot uirtutis opes quot munera digna fauore,  
Tot dotes anime quo saltern mundus oberrans  
Floreret, uiciis aliorum marcidus, immo  
Iam defloratus in flore resurgeret uno.  
Si terre uicium, scelus orbis, crimina mundi  
Ad meritum pensans, uellem persoluere penas,  
Aut iterum terras uelarem fluctibus, undis  
Vestirem montes iterum, totumque periret  
Diluuiio genus humanum, nec fluctibus ullum  
Exciperet uite meritum, nec uiueret alter  
Deucalion alterque Noe concluderet archam.  
Sed potius mundus, qui crimine uiuit in uno,  
Ad uite meritum pena moreretur in una,  
Aut terre delicta nouus consumeret ignis,  
Inuoluens homines una sub clade, nec unum  
Exciperet tante generalis regula cladis,  
Aut scelerum pestes alia sub peste perirent.  
Sed quia iusticie uincit miseratio normam  
Iudicii que rigor cedit pietate remissus,  
Non penas equabo malis, non premia culpis,  
Non ferro purgabo luem, non uulnere morbum,  
Sed uictus dulcore precum uestrique misertus  
Exilii, meliora dabo medicamina mundo.  
Munere diuino donis celestibus auctus,  
Spiritus a celo terre dimissus in orbe  
Terreno peregrinus erit, carnisque receptus  
Hospicio, luteum tegimen nouus hospes habebit.  
Hoc superest ut uestra manus concedat honestum  
Huic anime thalamum, regi respondeat aula,  
Ne nouus hospicii contagia senciatur hospes,  
Ne nucleum ledat teste putredo, saporem  
Corrupti uasis sibi res contenta maritet".

[425-451]

Hiis hylarata magis propriumque oblita laborem  
Virgo, nec ulterius pondus conquesta uiarum,  
Persoluit grates et celi numen adorat.  
Ipse Deus rem prosequitur, producit in actum  
Que pepigit. Vocat ergo Noym, que preparet illi  
Numinis exemplar, humane mentis ydeam,  
Ad cuius formam formetur spiritus omni  
Munere uirtutum diues, qui, nube caduce  
Carnis obumbratus, ueletur corporis umbra.  
Tunc Noys ad regis preceptum singula rerum  
Vestigans exempla, nouam perquirat ydeam.  
Inter tot species speciem uix inuenit illam  
Quam petit; offertur tandem quesita petenti.  
In cuius speculo locat omnis gracia sedem:  
Forma Ioseph, sensus Ytide, potencia iusti  
Iob, zelus Finees Moysique modestia, Iacob  
Simplicitas Abraheque fides pietasque Thobie.  
Hanc formam Noys ipsa Deo presentat, ut eius  
Formet ad exemplar animam. Tunc ille sigillum  
Sumpsit, ad ipsius forme uestigia formam  
Dans anime, uultum qualem deprecatur ydea  
Imprimit exemplo, totas usurpat ymago  
Exemplaris opes, loquiturque figura sigillum.  
Adsunt factori Parce cumulantque decorem  
Facture, non inuidie liuore retracte  
A donis anime, sed multa dote salutant  
Ortam, felici claudentes omine fatum.

[452-465]

Hiis donis ditans facturam, factor eandem  
Commendat Fronesi, monet hanc et precipit, addens  
Preceptis monitisque minas, ne tanta remisse  
Conseruet commissa sibi, sed caucius illam  
Conducat, meliore uia moderata meatum,  
Ne uel Saturni glaciali frigore tacta  
Senciat algorem nimium, uel Martis in estu  
Torreat, aut dulci pruritu lesa Dyones  
Languet, aut lune fluitet torrentibus acta.  
Tunc Noys unguenti specie, que funditus omnem  
Aeris insultum sistat morbique procellam,

Frigus auaricie, fedequē libidinis estum,  
Inuidieque sedet stimulum, contemperet iram,  
Perfundens animam celesti rore perungit.

[466-488]

Ergo potens uoti, celo demittitur alto  
Virgo, gradum properat illucque reuertitur unde  
Venerat; in celum stellis radiantibus ardens.  
Peruenit; occurrit Racio uotoque potitam  
Laudat et actoris miratur dona superni.  
Tunc comites, quarum ductu Prudencia sursum  
Euasit, reddens grates soluensque salutem  
Deserit, ad currum rursus solitumque recurrens  
Aurigam, ueteremque uiam gauisa resumit.  
Tunc loca pertransit Saturno proxima, caute  
Decipit illa senem, gressum secludit et illi  
Se procul absentat fugiens, callemque remotum  
Intrat, ut illius queat expugnare furorem.  
Saturnique tamen sensisset spiritus iram,  
Ni liquor unguenti contra pugnasset et illum  
Vincens, feruorem superasset celicus imber.  
Sic Veneris pestes, sic Martis decipit estus,  
Lunaremque globum que tandem singula uincens,  
Immensum consummat iter uotisque sororum  
Expectata diu Prudencia redditur; offert  
Nature celeste datum; miratur in illo  
Artificis Natura manum, munusque beatum  
Laudat et in dono laudatur gracia dantis.

## LIBER SEPTIMUS

[1-55]

Occurrit Fronesi uirtutum turba suoque  
Pendet in amplexu, collum ligat, oscula prebet,  
Felicem laudat reditum, cum grata labori  
Reddatur merces, felici fine laborem  
Concludens, nec iam risus et gaudia uendat  
Spem timor offendens, cum res superata timorem  
Sorbeat et longo succedant gaudia uoto.  
Ergo sollerti studio Natura requirit  
Materie summam, de qua presigne figuret

Hospicium, carnisque domum quam spiritus intret  
Celestis, radietque suo domus hospite digna.  
Excipit a terra quicquid purgacius in se  
Terra tenet, quicquid sibi puri uendicat humor,  
Quidue magis purum purus sibi destinat aer,  
Vel defecatum retinet sibi purior ignis.  
Diuidit a toto, diuisaque rursus in unum  
Colligit in summa commiscens, dumque futurum  
Sic prelibat opus, humani corporis aptat  
Materiam, signans operis uexilla futuri.  
Ergo materiam colere uis ignea donat  
Que, quamuis soleat totam turbare quietem  
Corporis et bellum plus quam ciuile mouere,  
Hic pacata iacet, nullos motura tumultus.  
Materiam purus traducit ab aere sanguis,  
Nec iam luxuriat proprio torrente superbus,  
Sed pacem seruat reliquis humoribus humor  
Sanguineus nullasque mouet cum fratribus iras.  
Mis inferior infra decurrit aquosus  
Humor et in morbos iam declinare recusat,  
Quamuis germane soleat putredinis esse  
Proximus et uarias morborum gignere pestes.  
Hic fex humorum fecem deponit et omnes  
Ingenitos mores melius morata recidit.  
Ex hiis materiam ductam Natura monetat  
In speciem, uultus humani corporis aptans  
Materie, cuius miratur turba decorem,  
Parque suum stupet in terris decor ipse decorum.  
Omnes diuicias forme diffundit in illo  
Nature prelarga manus; post munera pauper  
Pene fuit Natura parens que dona decoris,  
Forme thesauros uultu deponit in uno.  
Spirat in hac forma Narcisus et alter Adonis  
Spirat in hac facie quam, si Venus altera rursus  
Cerneret, in solitum decurreret illa furorem.  
Hoc magis in signum speciei donaque forme  
Cedit, quod nulla corpus pinguedine surgit,  
Sed magis in maciem tendit, sic omnia iuste  
Possidet et nullo decor eius claudicat, immo  
Nil maius conferre potest Natura uel ultra;  
Nil imperfectum, quia perfectissimus actor,  
Nec maius uoluit quam quod satis omnibus esset,

Nec decuit fecisse minus qui plus potuisset.  
Hec igitur species tantum pretendit honoris  
Quod sese possit tute committere laudi  
Inuidie laudemque suam mereatur ab hoste.

[56-116]

Postquam materiem Nature dextra beuit  
Vultibus humanis, animam Concordia carni  
Federat et stabili connectit dissona nexu.  
Iunctura tenui, gulfis subtilibus aptat  
Composito simplex, hebeti subtile, ligatque  
Federe complacito, carni diuina maritat.  
Sic nocti lucem connectit et ethera terre,  
Sic diuersa tenent pacem, sic dissona litem  
Deponunt propriam nec iam caro bella minatur,  
Spiritu cedens sed non sine murmure multo.  
Nec iam corpoream uestem fastidit abhorrens  
Spiritus, hospicio tali letatus et umbra.  
Vt melius concludat opus Concordia, uirgo  
Que nobis numeri doctrinam spondet et illa  
Que monstrat uocum nexus et uincla sonorum,  
Assistunt operi cepto firmantque duorum  
Connubium, numerisque ligant et federe certo  
Nectunt, ut carni nubat substancia celi.  
Ergo nouus formatur homo: miratur in illo  
Se tantum potuisse potens Natura stupensque  
Vix opus esse suum credit quod fecerat ipsa.  
Dat iuueni dotes predictas Copia, pleno  
Perfundens cornu Nature munera, nullam  
Mensure metam retinens in munere tanto.  
Et cornu quod nulla prius munuscula, nullum  
Exhaustit munus, totum diffunditur, in quo  
Se probat et quantum possit metitur in illo.  
Accedit Fauor in dotem, ne tanta priorum  
Munera perfecte perdant preconia laudis.  
Hiis fauet ergo Fauor, donans ut dona placere  
Possint et celeri perfiat tot munera Fama.  
Que, quamuis soleat uerum corrumpere falso,  
Hic nescit nisi uera loqui moresque uetustos  
Exuit et de se retinet sibi nomina fame.  
Non ibi laus sine re, non res sine laude, suamque  
Curat ab ypocrisi laudem res digna fauore.

Munera leticie largitur grata Iuuentus,  
Et quamuis huius soleat lasciuiam semper  
Esse comes, deponit eam moresque seueros  
Induit atque senis imitatur moribus eum:  
In senium transit morum grauitate Iuuentus.  
Sic etate uiret iuuenis, quod mente senescit,  
Etatem superat sensus, primordia floris  
Anticipat fructus et riuum preuenit amnis.  
Euo concludit animus, dum dispare ritu  
Pugnant: Hoc iuuenem loquitur, probat ille senectam.  
Risus adest, non ille tamen quem sepe maligna  
Gignit abortiuum derisio, liuor ab intus  
Parturit, aut extra falsi describit amoris  
Forma, uel instabilis crebro lasciuiam pingit;  
Sed multum grauitatis habens uultumque modeste  
Inscribens, nullo deformans ora cachino,  
Talis erat risus, nullo corruptus abusu,  
Qualem causa, locus, tempus, persona requirit.  
Hiis Pudor accessit, longe fermenta relegans  
Luxurie, Veneris declinans dulce uenenum,  
Incestusque sitim redeuntem grata Pudoris  
Extinguit sacies, fluctusque libidinis a se  
Depellit, uincitque fuga, non mente Dyonem.  
Ypolitus redit ad uitam, redit alter in orbem  
Helyas ueteremque Joseph nouus alter adequat.

[117-165]

Forma pudicicie custosque Modestia dotes  
Apponit proprias et donum cetera uincens  
Dona, nec in dando mensuram deserit, immo  
Singula describit certo moderamine finis.  
Totum componit hominem, contemperat actus  
Verbaque metitur, libratque silentia, gestus  
Ponderat, appendit habitus sensusque refrenat.  
Admonet instanter ut nil agat unde pudendum,  
Vnde pudor frontem signet mentemque reatus  
Torqueat, aut fame titulos infamia ledat.  
Demonstrat que uerba, quibus uel quando tacenda  
Que loqui deceat, ne uel dicenda tacendo  
Strangulet, aut nimio largus sermone tacenda  
Euomat atque seram diffuso subtrahat ori.  
Describit gestum capitis faciemque uenuste

Suscitat ad recti libram, ne fronte supina  
Ad superos tendens, uideatur spernere nostros  
Mortales, nostram dedignans uisere uitam,  
Vel nimis in faciem terre demissus, in hertem  
Desertumque notet animum; moderantius ergo  
Erigitur, nec enim surgit uel decidit ultra  
Mensuram. Signans mentem, Constancia uultus  
Scurriles prohibet gestus nimiumque seueros  
Abdicat incessus, ne uel lasciuiam scurram  
Predicet, aut fastus nimius rigor exprimat usum.  
Et ne degeneres scurrili more lacertos  
Exerat et turpi uexet sua brachia gestu,  
Aut fastum signans ulnas exemplat in arcum,  
Admonet illa uirum, uel ne delibet eundo  
Articulisque pedum terram, uix terrea tangens,  
Eius legitimo firmat uestigia gressu.  
Ne cultu nimium crinis lasciuus adequet  
Femineos luxus sexusque recidat honorem,  
Aut nimis incomptus iaceat, scalore profundo  
Degeneret et iuuenem proprii neglectus honoris  
Philosophum nimis esse probet, tenet inter utrumque  
Illa modum proprioque locat de more capillos.  
Non habitum cultus nimio splendore serenat,  
Non scalore premit, mediocriter omnia pensat.  
Ne uitanda foris oculus uenetur et auris,  
Melliflue uocis dulci seducta canore,  
Seducat mentem deceptaque naris odore  
Deffluat in luxus, uisum castigat et aurem,  
Frenat odoratum; uel ne dulcore saporis  
Desipiens, gustus mentem nimium sapiendo  
Decipiat, sensum gustus contemperat, usum  
Tactus componit, ne deuius erret et intus  
Mentem sollicitet, Veneris prelude querens  
Exterius nostreque ferens uexilla Dyones.

[166-201]

Non minor in donis Racio succedit et omne  
Diffundit munus, nunc primum prodiga donis,  
Iam pridem que parca fuit iam parcere dono  
Desinit, ipsa tamen redeunt cum fenore dona.  
Illa monet iuuenem monitu seniore senisque  
Largitur mores iuueni. Docet ergo repente

Ne quid agat subitumue nil presumat, at omne  
Factum preueniat animo, deliberet ante  
Quam faciat, primumque suos examinet actus;  
Diuidat a falso uerum, secernat honestum  
A turpi, uicium fugiens, sectator honesti,  
Promittat raro, det crebrius, immo petentem  
Munere preueniat nec sit res empta rogatu;  
Si quid promittat, promissum munus adequet  
Vel superet, ne re maior spes gaudia uincat.  
Promissum comittetur opus, ne tarda sequantur  
Munera, ne doni merito dantisque fauori  
Detrahet, donum minuat dilacio dantis;  
Non fluat in motus uarios, sed firmiter uni  
Insistat mens fixa bono, ne singula temptans  
Nil teneat nec sic animus discurrat ubique,  
Quod nusquam; ne planta recens translata frequenter  
Areat, aut uarii temptans medicaminis usum,  
Inualeat morbus; ne mens sic omnibus assit  
Quod nulli, sic cuncta probet quod singula perdat;  
Nec petat impelli populari laude, nec ipsam  
Respuat oblatam, nisi sit uelata colore  
Ypocrisis, uerbo querens emungere lucrum;  
Nam nimis austerum redolet qui despicit omnem  
Famam, molescitque nimis qui singula fame  
Blandimenta petit, populari deditus auri.  
Non animo facili, non aure bibente fauorem  
Audiat ypocritas laudes, mendacia fame,  
Palponis phaleras, qui uerba sophistica pingit,  
Et dulci laudum sonitu citarizat in aure  
Diuitis et uendit laudes ad pondera doni.

[202-227]

Post Racionis opes et tantum munus, Honestas  
Thesaurum reserat proprium iuuenemque suarum  
Custodem decernit opum, deponit in illo  
Quidquid habet, ius omne boni transfundit in illum.  
Infames uitare monet, ne fama laboret,  
Ne uicina bonos ledant contagia mores,  
Vt uicium fugiat, Naturam diligat, illud  
Quod facinus peperit damnans, quod praua uoluntas  
Edidit, amplectens quicquid Natura creauit;  
Non homines sed monstra cauens et crimina uitans.

Sic instet uicio quod rerum parcat honori,  
In commune bonum ne lux abscondita parce  
Luceat et uirtus det fructus clausa minores,  
Interius sibimet ut pauci uiuat et extra  
Vt plures, intus sibi uiuens, pluribus extra;  
Vt mundo natum se credat, ut omnibus omnis  
Pareat et sapiens sese cognoscat in illo;  
Ne loca denigrent famam, ne tempora reddant  
Suspectum uiteque modus rerumque facultas.  
Predictis succedit Honor, predicta colorans  
Luce sua, nullamque sinit sentire lituram  
Dedecoris, sed cuncta suo perlustrat honore  
Muneris, et cultu proprio Decus omnia uestit,  
Non minus irradians aliarum facta sororum  
Quam rosa cognatos flores, quam Lucifer ignes  
Sydereos, lapidumque iubar carbunculus auget.

[228-260]

Assistens, Fronesis pluit omnia dona Sophye,  
Non illas largitur opes que sepe potentum  
Excecant animos et magestatis honorem  
Inclinant, minuunt leges et iura retardant,  
Sed potius donat thesaurum mentis et omnes  
Diuicias animi, quas qui semel accipit, ultra  
Non eget, immo semel ditatus semper habundat,  
Quarum rectus amor, possessio nobilis, usus  
Vtilis, utilior largicio, fructus habundans.  
Hec est gaza poli, celi thesaurus, inundans  
Gracia que doctos ditat, que prodiga largos  
Vult possessores et dedignatur auaros.  
Clausa perit, diffusa redit; nisi publica fiat,  
Labitur et multas uires adquirit eundo.  
Non istas depascit opes rubigo, nec ignis  
Deورات, aut furis minuit subreptio, mergit  
Naufragium, tollit predo, depauperat hostis.  
Nec solum Fronesis confert sua dona, sed ultra  
Procedit, iubet ancillas exponere quicquid  
Possunt et quodam certamine fundere dona:  
Gramatice doctrina prior precepta Sophye  
Complet et in iuuenem descendit tota, nec in se  
Fit minor, immo, magis crescens, grandescit in illo.  
Omne quod ipsius discernit regula, canon

Precipit et dictat artis censura magistre,  
In dotem iuuenis confert, ne uerba monetet  
Citra gramaticam, ne uerbo barbarus erret.  
Barbaries quam nulla notat, sic ergo loquendi  
Recte scribendique uiam sectatur et artem  
Assequitur, damnat uicium toleratque figuram,  
Perfundensque uirum Pegasei nectare fontis,  
Turba poetarum docet illum uerba ligare  
Metris et dulci carmen depingere rithmo.

[261-269]

Succedit Logice uirtus arguta, nec alget  
Munere pigmeo, uerum contendit in illo  
Spargere diuicias et dandi laxat habenas.  
Hec docet argutum Martem rationis inire,  
Aduerse parti concludere, frangere uires  
Oppositas partemque suam ratione tueri,  
Vestigare uiam ueri falsumque fugare,  
Scismaticos logice falsosque retundere fratres  
Et pseudologicos et denudare sophistas.

[270-284]

Assunt Rethorice cultus floresque colorum,  
Verba quibus stellata nitent, et sermo decorem  
Induit, et multo splendescit clausula luce.  
Has sermonis opes, cultus et sidera uerbi  
Copia Rethorice iactat iuuenisque loquelam  
Pingit et in uario presignit uerba colore.  
Succincte docet illa loqui sensusque profundos  
Sub sermone breui concludere, claudere multa  
Sub paucis nec diffuso sermone uagari,  
Vt breue sit uerbum, diues sententia, sermo  
Facundus, multi fecundus pondere sensus.  
Vel si forte fluat sermo sub flumine uerbi,  
Fulminet ulterius sententia, copia fructus  
Excuset folii siluam, paleasque uagantes  
Vbertas grani redimat sensusque loquelam.

[285-296]

Donat opes ars illa suas, que semina rerum,

Federa, complexus, causas et uincula certis  
Legibus inquit, numeros uestigat et omnes  
Discutit effectus, quibus omnia fixa tenentur,  
Sub uicibus constricta suis numerisque ligantur  
Cuncta simul, pacemque tenent, cessante tumultu.  
Ergo uirum, sua denudans secreta Minerve,  
Heredem facit esse suum, iuuenique reuelat  
Scibile quicquid habet, quicquid sua copia fundit,  
Que ratio numeris, que uirtus queue potestas  
Insit, et in numeris que tanta potencia regnet,  
Vt numeri nodo stabilis liget omnia nexus.

[297-310]

Musica diuicias aperit, sua munera multo  
Plena fauore uiro concedit, adoptat eundem,  
Omne suum uelud heredi delegat eidem.  
Que uox displiceat uoci, que consonet illi  
Monstrat, amicicias uocum rixasque sonorum  
Edocet, et que uox trahat, que debriet aurem.  
Explicitas in dona manus ars illa relaxat,  
Que terre spacium, tractus maris, aeris altos  
Discursus, celi fines metitur, et omne  
Corpus sub certo describit fine nec altum  
Impedit, immensum tardat retrahitque profundum.  
Illa uirum docet in spacium concludere terram,  
Aera metiri, mare sistere, claudere celum  
Finibus et teretem mundi describere formam.

[311-328]

Astrorum doctrina suum componit in illo  
Hospicium, quo nulla magis sibi complacet aula.  
Illa docet quis motus agat celestia, stellas  
Excitet, aut celi quis spiritus incitet orbem.  
Hoc doni titulo mundi Sapientia ditat  
Presignitque uirum, sed eum diuinius afflans,  
Ars diuina poli, ueri uia, nescia falsi,  
Ars que sola fide gaudet subnixa nec arte  
Nititur, humane fugiens rationis asilum,  
Gracius arrisit, animam cum celicus ignis  
In superis retineret adhuc splendorque serenes  
Aspiraret eius, nec nostras etheris imi

Pressuras pateretur adhuc nec tedia mundi.  
Illa docet celeste sequi, uitare caducum,  
Viuere lege poli, sursum suspendere mentem,  
Fastidire solum, celum conscendere mente,  
Corporis insultus frenare, reffellere luxus  
Carnis et illicitos rationi subdere motus.

[329-343]

Succedens Pietas se totam donat et offert  
In munus, tantumque uiro committit ut ipse  
Credatur Pietas, tante pietatis alumpnus.  
Hec docet ut maculas animi complanet et omnes  
Deponat nubes odii, mens cerea fiat,  
Si respersa semel fuerit pietatis oliuo,  
Sic tamen ut nunquam firme constancia mentis  
Deuiet a recto, ne, si pietate remissus  
Mollescat iuuenis, magnos effeminet actus  
Mollicies, perdatque uiri mens fracta rigorem.  
Hec docet ut miseri lacrimas, incommoda, casus  
Iudicet esse suos, ne se putet esse beatum,  
Dum superesse uidet in multis unde dolendum,  
Deffendat uiduas, miseros soletur, egenos  
Sustentet, pascat inopes faueatque pupillos.

[344-377]

Adnectens sua dona Fides in munere multo  
Se probat esse Fidem, nec se sibi subtrahit, immo  
Monstrat et in dono se disputat esse fidelem.  
Illa docet uitare dolos, contempnere fraudes,  
Fedus amicitie, fidei ius, pignus amoris  
Illesa seruare fide, nec nomine falso  
Pseudo uel ypocritam simulare latenter amicum.  
Preterea monet illa uirum ne querat amicos  
Fortune comites, cum qua mutantur et assint,  
Vel fugiant, casusque uices et fata sequantur,  
Qui cum fortune fugitiuo uere recedant,  
Aduersi casus hyemes et nubila uitent.  
Hec iuuenem docet ut nunquam mercetur amicum  
Munere, nec doni merito uenetur amorem,  
Nam precio quesitus amor cum munere cedit,  
Et quantum durat largicio durat amicus.

Perstat talis amor, mensuram muneris implens.  
Non ibi uera Fides ubi munus donat amorem;  
Non donum largitur amor, dum pondus amoris  
Ponderat ipsa dati merces et copia doni;  
Sed precis et precii uenali lege relictis,  
Querat quem uero sic complectatur amore  
Illesaque fide quod amor lucretur amorem  
Alterius, referatque nouos amor alter amores;  
Sicque relatiua dilectio, mutuus adsit  
Nexus amicitiae, quam nec Fortuna nouercans  
Soluat, nec casus agitet, nec gloria frangat.  
Querat cui possit se totum credere, uelle  
Declarare suum totamque exponere mentem,  
Cui sua committat animi secreta latentis,  
Vt sibi conseruans thesaurum mentis in illo,  
Nil sibi secretum quod non denudet eidem,  
Vt suus in signo tali mensuret amicus  
Pondus amicitiae, quam lance rependat eadem.

[378-396]

Subsequitur uirtus que gaudet spargere dona,  
Fundere diuicias et opum diffundere massam,  
Que census nutrire uitat uel pascere nummos,  
Nec sinit ignauam secum torpescere gazam,  
Nec bursam saciat nummis, sed cogit eandem  
Ad uomitum, si quid census absorbit unquam.  
Olim parca nimis, nunc uni prodiga, sese  
Transcendit, uiresque suas excedit in uno.  
Hec monet ut mentem dono suspendat ab omni,  
Excuciatque manum nec opum succumbat amori;  
Diuicias animo calcans et mente triumphans,  
Sic conculcet opes ne conculcetur ab illis,  
Ne manus ad donum currat nexuque tenaci  
Viscus auaricie munus constringat adeptum,  
Neue relatiuam mercedem munera querant,  
Nec lucrum siciat nec premia munus adoret;  
Sed sine spe redivis fundantur munera sparsim  
Solaque nobilitas et simplex gratia mentis  
Informet munus et doni condiat usum.

[397-404]

Post alias sua dona libens et leta dedisset  
Filia Fortune, Casus cognata propinqui  
Nobilitas, si quid proprium cessisset in eius  
Sortem, quod posset Nature lege tueri.  
Sed quia nulla potest, nisi que Fortuna ministrat,  
Nil sine consilio Fortune perficit, immo  
Matris adire locum disponit filia, gressum  
Aggreditur superatque uie dispendia gressu.

[405-457]

Est rupes maris in medio, quam uerberat equor  
Assidue, cum qua corrixans litigat unda,  
Que uariis agitata modis percussa que motu  
Continuo, nunc tota latens sepelitur in undis,  
Nunc, exuta mari, superas expirat in auras.  
Que nullam retinet formam, quam singula mutant  
In uarias momenta uices, que sidera florum  
Iactat et in multo letatur gramine rupes,  
Dum leni Zephyrus inspirat singula flatu.  
Sed cito deflorat flores et gramina seuus  
Deperdit Boreas ubi, dum flos incipit esse,  
Explicit et florum momento fallitur etas.  
Sicque furens Aquilo predatur singula, flores  
Frigoris ense metit et pristina gaudia delet.  
Hic nemus ambiguum diuersaque nascitur arbor:  
Ista manet sterilis, hec fructum parturit; illa  
Fronde noua gaudet, hec frondibus orphana plorat;  
Vna uiret, plures arescunt, unaque floret,  
Efflorent alie; quedam consurgit in altum,  
Demittuntur humi relique. Dum pullulat una,  
Marcescunt alie; uarius sic alterat illas  
Causas et in uariis alternant motibus omnes.  
Multa per antifrasm gerit illic alea casus:  
Pigmea breuitate sedens demissa que cedrus  
Desinit esse gigas et nana mirica gigantem  
Induit: alterius sic accipit altera formam.  
Marcescit laurus, mirtus parit, aret oliua,  
Fit fecunda salix, sterilis pirus, orphana fructu  
Pomus et in partu contendit uitibus ulmus.  
Hic iaculis armata suis, spineta minantur  
Vulnus et incautis manibus nocet hispida taxus.  
Hic raro Philomena canit, citharizat alaunda;

Crebrius hic miseros euentus bubo prophetat,  
Nuncius aduersi casus et prece doloris.  
Hic duo decurrunt fluuii quos diuidit ortus  
Dissimilis, dispar uultus, diuersa coloris  
Forma, sapor uarius, distans substantia fontis.  
Predulces habet alter aquas mellitaque donans  
Pocula, melle suo multos seducit et hauste  
Plus siciuntur aque, potantes debriat, immo,  
Dum saciat, parit unda sitim potusque sititur  
Annis et innumeros ydropicat ille bibentes.  
Murmure lasciuit tenui dulcique susurro  
Murmurat et placida rupem preterfluit unda.  
Annis in ingressu multi sistuntur et ultra  
Non patet accessus, qui dulces fluminis undas  
Vix tangunt libantque parum, tantoque sapore  
Pasci plus cupiunt, immergi plenius undis  
Optant et totos perfundunt fluctibus artus.  
Procedunt alii, quos alto gurgite mersos  
Plenior annis habet et prouehit alcior unda,  
Quos tamen imbutos tanta dulcedine fluctus  
Ad ripam leuis unda refert terreque remittit.

[458-480]

Precipiti lapsu fluuius dilabitur alter,  
Sulfureis tenebrosus aquis; absincia gignit  
Vnda sapore suo, reddit feruore caminum,  
Sicque color uisum, gustum sapor, impetus aurem  
Turbat et insipidum fastidit naris odorem.  
Non has crispat aquas Zephirus, sed funditus illas  
Euertens Boreas in montes erigit, undis  
Indicens bellum cognataque prelia miscens.  
Fluminis in ripa lacrimarum flumina multos  
Demergunt, qui demergi torrentis abisso  
Anne furente timent et fluctus ferre tumultum.  
Multus in hunc annem populus descendit et altis  
Consepelitur aquis tumidoque impellitur anne.  
Absorbet nunc unda uiros, nunc euomit; istos  
Fluctibus immergit, hos respirare parumper  
Permittit, sed quamplures sic sorbet abissus  
Quod reuocare gradum superasque euadere in auras  
Non licet et reditus uestigia nulla supersunt.  
Hic fluuius, uariis currens anfractibus, intrat

Torrentem, preclusus aquis, cogitque fluentum  
Degenerare luemque suam partitur eidem:  
Nubilus obtenebrat clarum, fermentat amarus  
Predulcem, tepidum calidus, fetosus odorum.

## LIBER OCTAVUS

[1-62]

Rupis in abrupto suspensa minansque ruinam,  
Fortune domus in preceps descendit, et omnem  
Ventorum patitur rabiem celique procellas  
Sustinet, et raro Zephiri mansueta serenat  
Aura domum flatusque Nothi Boreeque rigorem  
Parcius abstergit lenis clemencia flatus.  
Pars in monte sedet, pars altera montis in imo  
Subsidet, et casum tanquam lapsura minatur.  
Fulgurat argento, gemmis splendescit et auro  
Resplendet pars una domus; pars altera uili  
Materie deiecta iacet; pars ista superbit  
Culmine sublimi, pars illa fatiscit hiatu.  
Hic est Fortune sua mansio, si tamen usquam  
Res manet instabilis, residet uaga, mobilis heret,  
Cuius tota quies lapsus, constancia motus,  
Voluere, stare, situs discurrere, scandere casus,  
Cui modus et ratio rationis egere, fidesque  
Non seruare fidem, pietas pietate carere.  
Hec est inconstans, incerta, uolubilis, anceps,  
Errans, instabilis, uaga, que, dum stare putatur,  
Occidit et falso mentitur gaudia risu.  
Aspera blandiciis, in lumine nubila, pauper  
Et diues, mansueta, ferox, predulcis, amara,  
Ridendo plorans, stando uaga, ceca uidendo,  
In leuitate manens, in lapsu firma, fidelis  
In falso, leuis in uero stabilisque mouendo,  
Hoc firmum seruans quod nunquam firma, fidele  
Hoc solum retinens quod nesciat esse fidelis,  
Hoc solo uerax quod semper falsa probetur,  
Hoc solo stabilis quod semper mobilis erret,  
Ambiguo uultu seducit forma uidentem.  
Nam capitis pars anterior uestita capillis  
Luxuriat, dum caluiciem pars altera luget.  
Alter lasciuit oculus, dum profluit alter

In lacrimas; hie languet hebes dum fulgurat ille.  
Pars uultus uiuit, uiuo flammata colore;  
Pars moritur quam pallor habet, qua gracia uultus  
Expirat, languet facies et forma liquescit.  
Vna manus donat, retrahit manus altera donum:  
Ampliat hec munus, nec munera contrahit; illa  
Porrigit, hec auffert; hec comprimit, illa relaxat.  
Gressus inequalis, retrogradus, hebrius, errans,  
Progrediens retrograditur, multumque recedit  
Procedens, pariter uelox et lentus eundo.  
Nunc meliore toga splendet, nunc paupere cultu  
Plebescens Fortuna iacet, nunc orphana ueste  
Prostat et antiquos lugere uidetur honores.  
Precipitem mouet illa rotam motusque laborem  
Nulla quies claudit nec sistunt oia motum.  
Nam cum sepe manum dextram labor ille fatigat  
Leua manus succedit ei fesseque sorori  
Succurrit motumque rote uelocius urget.  
Cuius turbo rapax, raptus celer, impetus anceps,  
Inuoluens homines, a lapsus turbine nullum  
Excipit et cunctos fati ludibria ferre  
Cogit et in uarios homines descendere casus.  
Hos premit, hos releuat; hos deicit, erigit illos:  
Summa rote dum Cresus habet, tenet infima Codrus;  
Julius ascendit, descendit Magnus et infra  
Silla iacet; surgit Marius, sed cardine uerso  
Silla redit, Marius premitur; sic cuncta uicissim  
Turbo rapit uariatque uices Fortuna uolutans.

[63-130]

Fortune loca predicto signata paratu  
Nobilitas festiua petit matremque salutat  
Adueniens causamque uie perstringit eidem  
Sub breuibus uerbis et matri supplicat, orans  
Vt si quid presigne gerat dignumque fauore,  
Quod deceat uirtutis opus, quod competat illi  
Nature facto, non illud deneget illi.  
Quod Natura creat, recreat noua gracia, formant  
Mores, informat uirtus, prudentia ditat,  
Preditat pietas, afflat decus, ornat honestas,  
Exornat racio, species presignit et omnis  
Virtutum cumulus eius concurrat in usum.

Hiis dictis, modico risu Fortuna seueros  
Exhilarans uultus, hec nate uerba repondit:  
"Actus Nature, uirtutis fabrica nostrum  
Non deposcit opus; nostro non indiget actu  
Tam celebris factura Dei quam singula ditant  
Munera Nature, diuinaque uota beatam  
Efficiunt, nulloque caret uirtutis honore.  
Quid poterit casus ubi casu nulla reguntur?  
Quid mea mobilitas ubi rem constancia seruat?  
Quid leuitas ubi res stabilis? Quid mobile certa  
Res ubi queque manet? Ferro non indiget aurum,  
Non lumen tenebris; sic me non exigit actus  
Nature, uirtutis opus, factura superni  
Artificis nostreque manus non postulat usum.  
Sed ne liuoris stimulus uideatur in istud  
Deseuire bonum uel me suspendere fastus,  
Dona feram; quecumque tamen sunt, illa negare  
Nolo, ne donans potius quam dona pudorem  
Sustineat, donique nothe sint crimina danti.  
Addam que mea sunt, si qua tamen aut mea dici  
Aut me posse decet alii conferre, quod absit!  
Vt dem, sed potius ad tempus presto nec unquam  
Vila dedi, nisi que pro uelle resumere possem.  
Sed tamen hic nostros cognabor uincere lapsus  
Et uires conferre mini; mutabo propinquas  
Fraudes atque mei deponam tedia casus.  
Me reddam stabilem, motum pro parte reddens,  
Incipiam solers, sapiens discretaque, uerax  
Et stabilis fieri, que stulta, improuida, mendax  
Et preceps hucusque fui, mutabo priores  
Excessus, nostrasque manus mirabor ad horam".  
Arripit ancipites post hec Fortuna meatus  
Et ceptum maturat iter. Comitatur euntem  
Nobilitas sequiturque sue uestigia matris.  
Ergo uiam superans incerto limite, gressu  
Ambiguo, casu ductore, errore magistro,  
Nature Fortuna domum perquirat et illam  
Vix tandem forte uaga, preceps, mobilis, errans  
Inuenit, aduentum cuius mirata stupescit  
Curia. Sed quamuis habitus mutacio, uultus  
Degener, inconstans gestus terrere uidentem  
Posset et a recto stupidam diuertere mentem,

Non tamen illa metu nutat, sed uisa parumper  
Miratur nec mentis abest constancia firme.  
Ergo Nobilitas dotes et munera profert,  
Fortuna dictante modum, iuuenemque beatum  
Nature dono, uirtutis munere, dote  
Electi, nulla peccati labe iacentem  
Afflat honore suo; tamen huius dona minore  
Luce micant donis adiuncta prioribus, immo  
Vix aliquid splendoris habent, dum luce premuntur  
Maiore: sic flamma minor uicina camino  
Languescit, sic stella latet contermina Phebo.  
Confertur tamen ad laudem titulumque fauoris  
Nobilitas augusta, genus presigne, parentes  
Ingenui, libertas libera, nobilis ortus.

[131-146]

Dum Fortuna parat alias apponere dotes,  
Assistit danti Racio, ne forte priorum  
Munera fermentet unius munus et uno  
Depereat uicio multarum gloria rerum.  
Non sinit aduersis respergere prospera, mestis  
Gaudia, Fortunam se fallere cogit et auffert  
Hanc sibi, mendacem ueram facit esse, fidelem  
Falsam, constantem fluidam cecamque uidentem  
Reddit, et ad tempus cogit cessare uagantem.  
Ergo suas largitur opes Fortuna nec ultra  
Mensuram citraue sinit decurrere donum  
Fortune Racio, sed opes metitur et omnes  
Librat diuicias, ne si nimis effluat harum  
Alueus, in preceps mentem deducat et illam  
Mergat opum torens, animum declinet in usus  
Illicitos mentisque suos effeminet actus.

[147-159]

Jam perfectus erat in cunctis celicus ille  
Et diuinus homo. Jam lubrica fama per orbem  
Nature clamabat opus, jam rumor in aures  
Multorum dilapsus erat, cum tristis ad istos  
Horruit Alecto rumores; non tamen illis  
Prebuit assensus faciles, sed credere tandem  
Cogitur inuita, cum res et fama perorat.

Ergo dolos languere dolet gemitusque silere  
Ingemit atque suos luget torpescere luctus.  
Cum letetur homo, plorat; cum rideat orbis,  
Luget; languescit, cum mundus floreat; aret,  
Cum uireat uirtus; cum res humana uirescat,  
Marcessit; cum regnet homo proscribitur illa.

[160-171]

Ergo suas pestes pestis predicta repente  
Conuocat, ad cuius nutum glomerantur in unum  
Tartarei proceres, rectores noctis, alumpni  
Nequicie, fabri scelerum, culpeque magistri,  
Dampna, doli, fraudes, penuria, furta, rapine,  
Impetus, ira, furor, odium, discordia, pugne,  
Morbus, tristicies, lasciui, luxus, egestas,  
Luxuries, fastus, liuor, formido, senectus.  
Is scelerum turbo, uiciorum turba, malorum  
Conuentus, numerosa lues et publica pestis  
Tartareas ruit in sedes, ubi regnat Herinis,  
Imperat Alecto, leges dictante Megea.

[172-217]

Postquam turba furens, gens dissona, concio discors,  
Plebs dispar, populus deformis sedibus illis  
Insedit, dum murmur adhuc percurret aures,  
Dans tumidas uoces et uerba loquencia fastus,  
Allecto prorumpit in hec: "Que iura, quis ordo,  
Quis modus, unde quies, que tanta licencia pacis  
Vt nostras Natura uelit proscribere leges  
Et mundum seruire sibi, dampnare nocentes,  
Et iustos seruare uelit, cum nostra potestas  
Eius preueniat uires, nostroque senatu  
Plebescat Natura minor, totiensque subacta  
Legibus imperii nostri, mutare ualebit  
Amplius et nostris subducere colla cathenis?  
Proh pudor! incestus aberit, regnante pudore?  
Languescet facinus mundum pietate regente  
Cedet auaricia, si munera fundat ubique  
Hostis auaricie? fraudis censura silebit,  
Regna tenente fide? feret ira silencia pacis?  
Ius nostrum pax subripiet, quod tempore tanto

Deffendens nobis prescriptio uendicat, usus  
Confert et iusto titulo collata tuetur?  
Sed pudeat nos iura sequi, quas uiuere iuste  
Non decet, aut precibus uti. Pro legibus ergo  
Sumende uires, uis pro uirtute feratur.  
Nos pro iure decet assumere robur et armis  
Res dictare nouas et sanguine scribere leges.  
In nos maturas euo bellique potentes,  
In numero plures, maiores uiribus, unum  
Expertem belli puerum, uirtute minorem  
Armauit Natura parens: sic seuit in ursum  
Hinnulus, in quercus armatur uirgula, uallis  
In montes, lepus in catulos, in tigrida damme.  
Si forti fortem clauoque retundere clauum  
Vellemus, numquid uni concludere posset  
E nostris unus, primo quem fouit ab euo  
Thesiphone, quem lacte suo potauit Herinis?  
Numquid Silla nouus, alter Nero uincere posset  
Leges, antiquos rursus renouare furores  
Rufinus, Katelina nouus peruertere mundum?  
Sed melius gens nostra simul collecta nouellos  
Nature teret insultus fastusque recentes  
Demittet, ueteri reddens elata ruine.  
Ergo pari strepitu, concordi Marte, furore  
Equali lites et bella geramus in illum  
Qui solus, puer et belli male conscius, in nos  
Armaturo cedrosque cupit delere murica".

[218-233]

Hiis dictis plebs tota suos clamore fatetur  
Assensus, dominamque sequi quocumque feratur  
Spondet et ad uotum confestim facta sequuntur.  
Arma sitit belli Discordia, prima tumultus  
Appetit et primi preludia Martis inire  
Preparat; assistunt famuli, complentque iubentis  
Preceptum, domineque parant insignia belli:  
Liur equos, Rabies currus, Furor arma ministrat;  
Impetus auriga, Lis armiger, Ira manipulus  
Preuenit incessum domine, sed Terror euntis  
Asistit dextro lateri Damnumque sinistro  
Heret, Deffectus sequitur, Mors ultima gressus  
Arripit occiduos, et Mortis fldus Achates,

Pallor, et assiduo Cedens comitata Dolore.  
Hos comites trahit ad pugnam Discordia, cunctos  
Excitat et sociis infundit Martis amorem.

[234-273]

Post hos arma capit, humili de plebe creata  
Pauperies, facie deiecta, paupere cultu,  
Incessu tristi gradiens, sed prodiga uite;  
Non mortis concussa metu, non fracta timore  
Irruit et uendens in multo funere uitam,  
Plus audet, dum nescit inops pauperque timere.  
It pedes innumera peditum uallata corona,  
Cuius in arraa ruit plebee turba cohortis:  
Pena, Labor, Sitis, Esuries, Ieiunia, Cure.  
Subsequitur uallata suis Infamia monstros;  
Illius uexilla gerunt Contagia uite,  
Factaque digna notis et Vita notabilis actu.  
Despectus comittatur eam, Pudor heret eunti,  
Serpit humi Murmur, currunt Conuicia, laudem  
Fama per antiphrasim fundit risumque Cachini.  
Morbida, mesta, tremens, fragilis, longeuia Senectus,  
Innitens baculo nec mentis robore firma,  
Bella mouet bellique nouo iuuenescit in estu.  
Debilitas, Morbi, Languores, Tedia, Lapsus  
Illius comittantur iter, qui Martis amore  
Succensi, pugne cupiunt impendere uitam.  
Ardet in arma furens, scisso uelatus amictu  
Luctus et, irrorans lacrimis, arat unguibus ora.  
Tristicies, Lamenta, Dolor, Pressura, Ruine  
Eius in obsequium feruent, dominique fatentur  
Miliciam, belloque calent cum rege ministri.  
Martis in ardorem natiuos excitat ignes  
Ignea Luxuries, multo comitata cliente.  
Eius in auxilium iurant Periuria, spondet  
Falsus Amor, Leuitas animi, Lasciuia mendax,  
Insidus Dulcor, sapidus Dolor, egra Voluptas,  
Prosperitas aduersa, locus lugubris, amara  
Gaudia, Paupertas diues, Opulencia pauper.  
Post alios in bella furens et promptus in arma,  
Sublimi prouectus equo gestuque superbus,  
Excedens habitu uerboque superfluus, actu  
Degenerans Excessus adest, bellique furorem

Preuenit, et cunctis bellandi suggerit iras.  
Quo duce signa gerit et bellum uoce minatur  
Hebrietas, Fastus, Iactancia, Crapula, Luxus.

[274-304]

Assiduus fomes scelerum carnisque tiranus,  
Peccati stimulus, delicti flamma, reatus  
Principium, predo nostre rationis et hostis,  
In tantam pugne rabiem bellique furores  
Currit, in auxilium cuius mouet arma Reatus,  
Velle malum, Calor illicitus, damnosa Voluptas.  
Stulticiam non turba minor, non rarior armat  
Conuentus procerum; comes est Ignauia, Ludi,  
Segnicies, Nuge, Garritus, Occia, Sompni.  
Non minus Impietas seuit multoque superba  
Milite, maiori uoto sitit arma nec ullam  
Gaudet habere uiam, nisi fusa sanguinis unda.  
Eius castra tenent illamque fatentur in armis  
Nequicie, Strages, Facinus, Violencia, Clades.  
In pharetris sua tela gerens arcuque doloso  
Fraus armata furit; comes est Fallacia duplex,  
Calliditas, Dolus illicitus, Versucia fallax.  
Peior Auariciam comittatur turba clientum,  
Cura frequens, Vsura uorax turpisque Rapina,  
Que uigili cura, studiosa mente recenset  
Qui nummi uenentur opes, quis nummus in archa  
Pigritat et nullos domine deseruit in usus.  
Hanc Ignobilitas sequitur gressusque sequentis  
Dedecus assequitur, heret Deiectio, Verber  
Assidet, applaudit Angustia, Casus adheret.  
Que, quamuis onerosa foret, deiecta, malignans,  
Plus sibi concillat Fortune matris honorem,  
Plusque placet matri, tantoque remissior alget  
Nobilitatis amor; et jam mutare priora  
Facta cupit Fortuna parens, prolique secunde  
Tota fauet, temptatque prius descindere factum.

[305-316]

Nuncia Fama uolat et ueris falsa maritans,  
In superos Furias, in celum regna silentum  
Conspirasse refert, Manes Herebique tyrannum

Tartareum reserasse Chaos, fratrique negare  
Regna, nec ulterius pacem concedere mundo;  
Monstraque mentitur, monstris maiora loquendo,  
Dum sceleri scelus accumulat Furiisque furorem  
Addit et Eumenides solito plus posse fatetur.  
Thesiphones cumulat iras augetque Megeram;  
Seuior assurgit Pluto; fit maior Herinis;  
Desinit esse triceps inferni ianitor, ora  
Mille capit; proprios Alecto duplicat angues.

[317-337]

Proposito stat fixa suo Natura nec ullo  
Concutitur uexata metu, sed mente timorem  
Expugnat, crescit animus bellicae uoluntas  
Surgit, et affectus Virtutibus insidet idem.  
Armatur celestis homo superumque beata  
Progenies, que tanta noui discrimina Martis  
Sola subit; dant arma uiro, uiresque ministrant  
Virtutes, unumque suis insignibus armant:  
Pax ocreas donat, Probitas calcaria confert,  
Loricam Pietas, galeam Prudencia, telum  
Vera Fides, ense Racio, Constancia scutum;  
Spes largitur equos, castus Timor addit habenas,  
Armigeri gerit officium Concordia, prece  
Fama canit cumulatque uiri preconia laude.  
Militat a dextris Racio, Constancia leuam  
Assequitur partem, totamque Modestia plebem  
Ordinat, et peditum strepitus Prudencia frenat.  
Quelibet a simili Virtus gerit arma uiroque  
Iurat in auxilium; que totum Martis honorem  
Dat iuueni, cui bella mouet Natura, suamque  
Donat ei palmam belli pugneque laborem.

[338-369]

Iam pestes Herebi, scelerum contagia, monstra  
Inferni, ciues Plutonis, noctis alumpni,  
Tartareum chaos egressi, funduntur in orbem,  
Iamque diem nostrum multa caligine noctis  
Inuoluunt mundique iubar delere laborant.  
Insultus lux ipsa nouos miratur et ipsam  
Noctem plus solito iam posse magisque morari,

Nec proprios seruare uices, nec cedere Phebo.  
Sed tamen hoc solo pensat sua damna quod illic  
Lux eterna manet nullisque decisa tenebris,  
Continuusque dies, ubi celicus ille senatus  
Turmaque Virtutum, Nature militat agmen.  
Iam se prospiciunt acies, jam prospicit hostem  
Hostis et aspectus animos succendit in iras.  
Ignescunt animi, mentes audacia maior  
Erigit, exurgunt ire, jam mente cohortes  
Se superant, animi iam mutua uulnera fingunt.  
Mens ardore prius pugnat quam dextera ferro,  
Impaciensque more Viciorum turba priores  
Arripit insultus pugne, primumque furorem  
Excitat, et magnis clamoribus intonat iras  
Tota cohors, uerboque prius consurgit in hostem  
Quam ferro, uerbis bellum prelibat et illi  
Gestu, uoce, minis insultat. Non tamen illum  
Gestus, uerba, mine frangunt, sed fixus in alto  
Mentis proposito, iuuenis constanter ad ista  
Erigitur, uincitque metum constancia mentis.  
Sed postquam sua uerba, mine gestusque uigoris  
Nil habuere, locum dant uerba nec amplius illis  
Est locus, immo minis factum succedit et armis  
Cedunt uerborum pugne: iam mistica bella  
Rem sapiunt, pugnas cum res non ipsa fatetur.

## LIBER NONUS ET VLTIMUS

[1-52]

Iam pedites in bella ruunt, iam sanguinis audent  
Fundere primicias, iam libamenta cruoris  
Prima dare affectant primeuaque uulnera belli.  
Pulueris insurgunt nebule, nouus imber inundat  
In terris, dum tela pluunt, dum pulueris imber  
Funditur, et celum telorum nubila uelant,  
Et ferri splendore nouo noua fulgura lucent.  
Mente calens, feruens animo, flammata furore,  
Prima uiro mouet assultus Discordia, primum  
Aggreditur Martem, primo casura tumultu.  
Impetus urget equos, Lis suggerit arma, sagitam  
Ira ministrat ei. Furor arcum preparat, ensem  
Liuor et ad pugnam reliquis feruencius ardet.

Ergo sagita uolat, prenuncia Martis, et hostem  
Impetuosa petit, quam totis uiribus actam  
Dirigit in iuuenem Discordia. Nec tamen ictus  
Dextre mittenti respondet, parma sagitam  
Respuit et totos abiectus umbo repellit.  
Tunc animi uires et totum robur in unum  
Colligit et Marti se totum deuouet ille.  
Indulget freno iuuenis, calcaribus urget  
Cornipedem, nec segnis, hebes, pinguedine lassus,  
Lentescit sonipes, sed eodem Martis amore  
Militat, hostiles frangens cum milite turmas.  
Aduersas igitur partes inuadit et ipsis  
Hostibus occurrens, uagina liberat ensem.  
Nec tonat ille minis, sed solo fulminat ense,  
Ferro cuncta probat nec uerbo disputat, immo  
Verberibus multisque modis concluditur hosti.  
Excipit a reliquis illam que prima furoris  
Causa fuit, que prima dedit fomenta laborum.  
Hanc igitur mucrone petens, a corpore uitam  
Extorquet, cogitque mori quam uiuere mundo  
Mors erat, et mundi mortem mors una retardat.  
Non satis est uidisse mori, plus exigit hostis:  
Ense metens caput, a trunco diffibulat ora,  
Et merito caput a trunco discordat in illa  
Per quam lis, odium, rabies, dissensio, rixa  
Prima fuit, per quam primo conflictus et ire  
Primeuique metus et belli prima cupido.  
Ergo solo iacet exanimis que reddidit olim  
Exanimes alios, sed ea moriente, suorum  
Emoritur uirtus, unius pena redundat  
In multas, morbus capitis descendit in artus.  
Iam Timor ipse timet, Lis subditur, Ira tepescit,  
Mitescit Rabies, cadit Impetus, occidit ipse  
Liuor, languescit Odium, Furor arma resignat.  
Assunt uirtutes iuueni, que Martis eodem  
Succense stimulo, reliquos armantur in hostes;  
Hos perimunt illosque fugant, bellatur in omnes.  
Vera Fides perimit Odium, Concordia Litem,  
Pax Iram, Rabiem Constancia Spesque Timorem.

[53-107]

Non minor ad pugnam sed maior surgit in iram

Pauperies, non ense tonans, non fulgure teli  
Bella minans, nulla lorice ueste refulgens,  
Nec clipeo munita latus, nec casside uultus,  
Sed nodis uariis callosa, nec arte polita;  
Sed uultus ueteres retinens primamque figuram,  
Claua uicem gerit armorum, sed quod minus arma  
Dant, suppleant animi, dat mens quod perdit in armis.  
Pauperies ruit in iuuenem clauaque minatur  
Funera, librat eam, librata percutit. Ictum  
Ille stupet, tanto dum cassis subsidet ictu,  
Sed tamen instantis ictus Constancia partem  
Eludit mucrone suo; magis ergo furore  
Vritur et magno strepitu bacchatur Egestas,  
Dum uidet in cassum clauam seuire nec illam  
Respondere sibi. Tunc ictus duplicat, immo  
Multiplicat, sed claua suo nugatur in ictu;  
Nam quociens claue Paupertas obicit ictus,  
Argumenta suo Virtus mucrone refellit.  
Sed postquam sua bella uidet nil posse, ministros  
Acrius ad pugnam stimulat: Labor irruit, instat  
Esuries, Sitis insultat, Ieiunia pugnant,  
Insurgunt uigiles Cure, dant arma Labori  
Gleba, lapis, fustes, telum de stipite querno.  
Esuries armata capit carecta, ministrat  
Tela Sitis, relique paribus bacchantur in armis.  
Sed iuuenis prior occurrit, prior obuiat hosti,  
Pauperiem prior aggreditur celerique uolatu  
Cornipedis pariterque suo cognamine nitens,  
Accumulat uires haste qua deicit illam  
Que terre deiecta iacet. Petit ergo iacentem;  
Non tamen illius scrutatur uiscera ferro,  
Nec rotat ense caput, nec inhebrat ora cruore,  
Funere famoso dedignans claudere uitam  
Hostis et insigni leto pensare ruinam.  
Sed conculcat eam, confundens ora iacentis,  
Deiectamque solo pedibus triturat equinis.  
Cogitur ergo mori iamdudum mortua mundo  
Pauperies nec mors animum predatur in illa,  
Sed potius mens una manet languetque repensa  
Mors a mente minor, multumque diuque resistit  
Mens morti, tandemque simul cum morte recedit;  
Dum sic in fatum concedit iuraque fati

Paupertas, proprium moriens depauperat agmen.  
Cetus eget: qui diues erat, dum uixit Egestas,  
Ejus diuicie pereunt omnisque facultas  
Pauperie pereunte perit; coguntur egere  
Conciues, quos illa prius ditauit egendo.  
Languescit Labor exhaustus, Sitis effugit, arma  
Deicit Esuries, fugiunt Ieiunia, Cure  
Depereunt; sic turba minor majore ruina  
Deprimitur populusque perit pereunte magistro.  
Ergo Quies Penam, Sacies Ieiunia, Curas  
Pax fugat, Esuriem deicit Copia, languet  
Vbertate Sitis et uicta Carencia cedit.

[108-148]

Tunc comitum supplere uolens Intamia casus,  
Forcior assurgit, sociorum uendere mortes  
Temptat et hostili leto saciare dolorem.  
Irruit in iuuenem, sed uerbo preuenit ictum,  
Et uerbis accuens conuicia: "Proh pudor!" inquit,  
"Gens euo, sensu, cautela, uiribus, armis  
Pollens unius iuuenis subcumbet inhermi  
Milicie nostraque feret de gente triumphum  
Iste puer?" Nec plura loquens, delegat in illum  
Telum, demonstrans facto quod uoce minatur.  
Missile decurrens cum uerbo uerberat auram,  
Nec uice legati pacem denunciat, immo  
Bella gerit, cursuque ruens, Infamia telum  
Insequitur, telo cursu contendit et hostem  
Ense petit, mucrone uolens succurrere telo,  
Vt, si forte uiri deludant arma sagitam,  
Vel modica teli rabies deseuiat ira,  
Teli mucro furens argentes suppleat iras.  
Ergo sagita, memor dextre que miserat illam,  
Insilit in frontem iuuenis, sed cassis euntem  
Sistit, eam retinet, gressus negat, obstat eunti.  
Sed teli supplere uolens Infamia lapsum,  
Succurrit telo, nudo mucrone, sed ictum  
Excipit a galea medius Fauor, ensis ab ictu  
Decidit et comitis supplet male dampna sagite.  
Sed postquam ducis insultus nil posse clientum  
Turba uidet, magis in rabiem succenditur; ergo  
Forcius arma rapit, pugnant Contagia, Murmur

Irruit, insurgunt Conuicia, Dedecus instat.  
Sed iuuenis nec mente iacet, nec frangitur hoste,  
Nec terrore pauet, nec uulnere lesus oberrat,  
Sed cornu quo Fama sue preconia laudis  
Intonat, ad tempus Fame subducit et hostem  
Hoc mucrone ferit, uires in uulnere multo  
Monstrat et egressus crebro reseratur in ictu.  
Hostis in occasu Pudor occidit, arma reponit  
Murmur, mutescunt Conuicia, Dedecus iram  
Nescit, Contemptus moritur, Contagia cedunt.  
Dedecus ergo Fauor extinguit, Fama Pudorem;  
Gloria supplantat Murmur, Conuicia Laudes,  
Contemptum predatur Honor, Contagia Virtus.

[149-209]

Quamuis pigra foret, quamuis longeva Senectus,  
Quamuis delirans, quamuis torpore fatiscens,  
Prona tamen calet in bello, iuuenescit in armis,  
Nec baculi iam querit opem, suffulta furore,  
Nec regimen poscit que sustentatur ab ira,  
Debilitate potens, morbo robusta, dolore  
Diues, segnicie fortis, pigredine prompta.  
Ergo propinqua neci, morti uicina propinque,  
Florida canicie, rugis sulcata Senectus  
Oppositum ruit in iuuenem, nec primitus instat  
Ense, nec aggreditur telo, nec cuspide pulsat,  
Sed quadam specie lucte cognatur ut illum  
In terram demittat, equum subducat et armis  
Exutum liber gladius grassetur in hostem.  
Sed monitu calcaris equus succensus in illam  
Irruit et terre miseram deponit, at illa  
Exurgens uires pariter cum mente resumit.  
Vertit in arma manus et spem deponit in armis,  
Sed cassis torpore iacet, scalore senescit,  
Atque situ scabre morsum rubiginis horret.  
Parma suum multa rubigine computat eum  
Nec uetat ingressum nudata crate sagitis.  
Lorice fragiles mordens rubigo cathenas  
Dissuit et iunctis addit diuorcia squamis.  
Pigritat affixus uagine mucro nec extra  
De facili prodit, longo tempore quiescens,  
Quem Senium nudare parat; sed degener ensis

Respuit egressus istos dextreque monenti  
Denegat officium, malens torpore quietis  
Vti quam uarios belli sen tire tumultus.  
Sed tamen a loculo tandem producit ensis  
Segnis, hebes, scalore iacens nec iam memor ire  
Bellorum, pacemque magis quam bella requirit  
Hic mucro, si mucro tamen de iure uocari  
Debeat hic gladius et non mucronis ymago.  
Impetit ergo uirum gladio munita Senectus,  
Vulnus ab ense petit, sed uulneris immemor ensis,  
In cassum pulsans, aditus ad uulnera nescit,  
Sed stupet ad galeam, uario delirus in ictu.  
Ergo Senecta, uidens proprium nil posse furorem,  
Miratur seseque dolet sine uulnere uinci;  
Sed quamuis esset morti uicina, propinquam  
Maturare uolens, hostis sibi prouocat ensem.  
Sed iuuenis, miseratus eam nec digna rependens  
Hosti pro meritis, nolenti uiuere uitam  
Concedit fatumque negat sua fata uolenti.  
Sistit equum, frenum retinens, sermone Senectam  
Aggrediens animosque truces et uota retardans,  
Prodit in hec: "Cur fata paras, cui proxima fatur  
Mors finem, cui uita mori, cui uiuere fatum?  
Cur queris tibi concessum? Cur poscis inepte  
Quod Natura parat, quod mors uicina minatur?  
Vtere que restat uita nec quere propinquos  
Anticipare dies; uite compendia mortem  
Solentur, mortis dispendia uita repenset".  
Ergo uicta fugit belloque renunciat, ensem  
Deicit, expellit clipeum galeamque Senectus  
Exuit, et solo baculo contenta recedit.  
Debilitas perdit uires belloque recedens  
Languescit Morbus, Langor fit morbidus, heret  
Lapsus, labuntur Deffectus, Tedia languent.

[210-227]

Jam comites errare uidens et cedere pugne  
Fletus adest, partemque suam succumbere bello  
Luget, et abscisso meret uelamine Luctus  
Vtque erat impaciens, gressum maturat et hostem  
Impetuosus adit, galeeque resolvere nodos  
Temptat, ut ad uulnus ingressum prepararet ensi.

Sed Risus succurrit ei, mucrone lacertum  
Dissuit a trunco, galee manus hesitat, herens  
Emoritur proprioque stupet priuata rigore.  
Iam Gemitus sua dampna gemit, iam Luctus inundans  
Assumit sibi se, Fletus lacrimatur et omnis  
Turba comes, meret Planctus Lacrimeque madescunt.  
Iam Dolor ipse dolet, perdens fomenta doloris,  
Deprimitur Pressura, cadunt Lamenta, Ruine  
Depereunt omnisque perit uiolencia Luctus.  
Gaudia Tristiciem, Pressuram Gloria, Planctum  
Prosperitas, Lamenta locus, Felicia Casus  
Exuperant, uincitque mali fastidia Risus.

[228-270]

At Venus ipsa furit, cui forcior ira nephasque  
Maius et insultus peior grauiorque potestas.  
Dum comitum languere manus, rarescere pugnam  
Luget, et hostiles animoque manuque caternas  
Crescere, iamque suos dolet expirasse furores,  
Ignitam tamen illa facem, que fulminis ipsam  
Mentitur speciem, que saxa resolueret, cautes  
Extenuare solet, ferrum mollescere, rupes  
Inflammarum, rapit instanter, uibrat in hostem.  
Has pugnas, hec bella tremens, hec prelia uitans  
Expectare timet iuuenis; fuga consulit illi  
Consilioque fuge uenientes effugit ictus.  
Fax ignita cadit, expirat in aere, uires  
Amittit, dum nulla manent fomenta caloris.  
Hic tamen a tergo Parthorum more sagitam  
Dirigit in Venerem nec fallitur illa, sed ictum  
Primo proponit, assumit uulnus et inde  
Mortem concludit, nec ad hec instare Libido  
Argumenta potest, dum sic concluditur illi.  
Sic iuueni sub Marte nouo noua laurea cedit:  
Dum fugit, ergo fugat; dum cedit, ceditur illi;  
Dum cadit, erigitur; uincit, dum uincitur; audet,  
Dum timet; expugnat, dum pugnam deserit; absens  
Instat et in bello preuentus, preuenit hostem.  
Dum moritur, sua fata stupet Cytherea, nec ipsam  
Credit adesse necem, quamuis mors ipsa loquatur.  
Cum per eam soleant alii succumbere leto,  
Vix credit se posse mori, sed proxima tandem

Fata uidens, prorumpit in has moritura querelas:  
"Heu! tociens uictrix uno delirat in actu  
Nostra manus, tociens uincens nunc uicta fatiscit  
Que falli nescit, quam nunc Fortuna fefellit!  
Nunc alget meus ille calor, meus ille caminus  
Qui solis flammis urit, succendit in undis  
Neptunum, Bachum bachari cogit et ipsum  
Fulminat igne Iouem, superis furatur honorem  
Numinis et multos cogit seruire potentes.  
Nunc mea tela iacent, quibus olim uictus Achilles  
Cessit, degeneri mentitus ueste puellam;  
Inque colum clauam uertens, in pensa sagittas,  
In fuscum pharetras, Alcides degener armis  
Totus femineos male degenerauit in actus".  
Hec ait et uitam pariter cum uoce reliquit.

[271-306]

Iam timet Excessus, iam bello cedere querit,  
Iam mens alta cadit, iam mentis decidit ardor,  
Dum comitis uidet occasum qui maxima belli  
Pars erat et prima tocius Martis origo.  
Hasta tamen uibrata uolat, sed deuiat, hostem  
Dum petit hec; mittensque manus male consulit illi  
Que, male dum regitur, errans declinat ab hoste,  
Nec saltem clipei partem prelibat eundo.  
Tunc iuueni delegat opem Moderancia, ferrum  
Nudat et hostilem turbat frangitque cateruam.  
Pugnat in Excessum Moderancia, sobria Fastum  
Aggreditur Racio, Penam Tolerancia, Luxum  
Sobrietas, sed pugna fauet Virtutibus, harum  
Deffendit partes Victoria. Vincitur ergo  
Fastus, Luxus abit, cessat Gula, Crapula cedit.  
Tunc Carnis Stimulus furtiuo Marte reluctans,  
Impetit a tergo iuuenem temptatque latenter  
Insultare uiro. Tamen istos prouida sentit  
Insultus Racio, nec torpet pigra, sed illi  
Obuiat, indomitum retinet sistitque furentem.  
Sed tamen ille diu Racionis uiribus obstans,  
Ex equo contendit ei multumque repugnat  
Luctans, et tandem uictus submittitur hosti.  
Acrius in iuuenem uolat Imprudencia, nullam  
Bellandi seruat legem, sed turbine belli

Turbida, nil animo retinet nisi Martis amorem.  
Mole sua fixum summa de rupe molarem  
Extorquere cupit, sub quo nutaret Achilles,  
Alcides gemeret totusque fatisceret Athlas.  
Sed uires honeri cedunt, et pondere uicta  
Vis hebet, atque grauem patitur sub mole ruinam.  
Obstat ei Fronesis, et jam sub pondere uictam  
Vincit et inuitam feriari cogit ab armis.  
Segniciem superat Solercia, Seria Ludum,  
Vtilitas Dampnum, Studium fugat Occia, Sensus  
Stulticiam dampnat, Nugasque Silencia uincunt.

[307-353]

Non ultra retinens iras mentisque tumultus,  
Impietas sese bellando predicat et se  
Rixando loquitur, uerbis rixatur et ictu  
Consummat rixas; probat ense quod ore fatetur.  
Errat in errore Martis, bellique furore  
Plus ferit, inque uia Martis fit deuia, legem  
Bellandi sine lege tenens, sine federe fedus.  
Dum minus in uulnus deseuit mucro, securim  
Arripit, ut redimat gladii delicta securi.  
Ergo uirum ferit et uires consumit in illo,  
Sed iuuenis stat securus sub mole securis.  
Assistens Pietas nec ferro militat, immo  
Blandiciis precibusque cupit mollescere bellum.  
Sed tamen imbre precum grauius succenditur ardor  
Bellandi, donantque preces fomenta furori.  
Sed postquam nil blandicie, nil uerba fauoris,  
Nil ualuere preces, Pietas mellita resignat  
Verba, rapit ferrum, bellumque refellere bello  
Incipit et ferrum ferro, fallitque securim  
Obiectu clipei, uariosque reuerberat ictus.  
Sed tandem uario deuicta labore, fatiscit  
Impietas, cedens Marti, sine Marte subacta.  
Que restat? Fraus sola; sibi solacia pugne  
Querit et ad latebras ueteres fraudesque recurrit.  
Degeneri pugna, seruili Marte, doloso  
Insultu, belli furias mollitur in hostem;  
Blandiciis, non blanda tamen, Fraus allicit illum.  
Has ergo mouet illa preces et dulcibus afflat  
Verbis et phaleris dictorum palliat artem:

"O iuuenis cui terra fauet, cui militat ether,  
Cui Deus arridet, celum famulatur, et omnis  
Applaudit mundus, et totus supplicat orbis,  
Reliquiis belli, que uix et forte supersunt,  
Parce nec in uitulos deseuiat ira leonis.  
Vincere cur uictos temptas? Cur bella mouere  
Queris in imbelles? Satis est potuisse nec ultra  
Nobilitas animi querit, nisi uincere posse".  
Dum blandis precibus mentitur uerba precantis,  
Euocat occulte gladium, maturius ensem  
Nudat, et ingeminans ictus, ad uulnera ferrum  
Inuitat; sed cassis ad hoc contendit, et ensem  
Spernit, nec tali dignatur cedere ferro.  
Econtra gerit arma Fides, Fraudisque reffellit  
Insidias, nudatque dolos et furta reuelat.  
Sed postquam nil posse dolos nec pallia fraudis  
Fraus uidet, exit bella, fuge committitur, arma  
Exuit et uite partem lucratur eundo.

[354-379]

Restat Auaricie strepitus, cui tota furoris  
Incumbit rabies, tantique pericula Martis  
Solus habet, solusque furit, se pluribus offert  
Vnus et in solo spem desperado gignit.  
Spicula, que multus argenti splendor inignit,  
In iuuenem uibrat et ad instar grandinis instant  
Tela, pluunt haste nubemque sagita figurat.  
Ergo telorum siluam pluresque sagitas  
Plantat in hostili clipeo uestitque sagitis  
Pestis Auaricie, sed telum parcius intrat  
Scutum nec clipeo sua spicula firmiter herent.  
Sed uirtus que dona pluit, que munera spargit,  
Nec sepelit nummos, nec opes incarcerat arena,  
Sed bene diuicias fundit sine spe redeundi,  
Telorum nemus ense secat siluamque recidit.  
Instat Auaricie, pugnat constanter et ensem,  
Quam tenet illa, rapit, armis hostilibus illam  
Vincit et in dominam cogit seuire sagitas.  
Ergo uicta fugit, pugne stat sola superstes  
Filia Fortune, sed eam Fortuna repellit  
A bello, natamque monet ne bella mouere  
Intestina uelit, ne rixam nata parenti

Misceat, aut pugnam moueat germana sorori.  
Ergo consilio matris concordat et hostem  
Deserit, ignorans cui iustius arma mouere  
Posset: sic neutri cedens, famulatur utrique.

[380-409]

Iam scelerum superata cohors in regna silenter  
Arma refert, et se uictam miratur, et illud  
Quod patitur uix esse putat. Non creditur illi  
Quod uidet, et Stigias fugit indignata sub umbras.  
Pugna cadit, cedit iuueni Victoria, surgit  
Virtus, succumbit Viciium, Natura triumphat,  
Regnat Amor, nusquam Discordia, Fedus ubique.  
Nam regnum mundi legum moderatur habenis  
Ille beatus homo, quem non lasciuiam frangit,  
Non superat fastus, facinus non inquinat, urget  
Luxurie stimulus, fraudis non inficit error.  
In terris iam castra locant et regna merentur  
Virtutes mundumque regunt, nec iam magis illis  
Astra placent sedesque poli quam terrenus orbis.  
Iam celo contendit humus, jam terra nitorem  
Induit ethereum, jam terram uestit Olympus.  
Nec iam corrigitur rastro, nec uomere campus  
Leditur, aut curui deplorat uulnus aratri,  
Vt tellus auido, quamuis inuita, colono  
Pareat, et semen multo cum fenore reddat.  
Non arbor cultrum querit, non uinea falcem,  
Sed fructus dat sponte nouos et uota coloni  
Fertilitate premit. Spes uincitur ubere fructu,  
Gratis poma parit arbor, uitisque racemos,  
Et sine se natas miratur pampinus uuas.  
E tunicis egressa suis rosa purpurat ortos,  
Nec spinam matrem redolet, sed sponte creata  
Pullulat, atque nouos sine semine prodit in ortus.  
Sic flores alii rident uarioque colore  
Depingit terram florum primeua iuuentus.

[410-426]

O mihi continuo multo sudata labore  
Pagina, cuius ad hoc minuit detractio famam,  
Viue, nec antiquos temptes equare poetas,

Sed potius ueterum uestigia semper adorans  
Subsequere et lauris humiles submitte miricas.  
Jam ratis, euadens Scillam monstrumque Caribdis,  
Ad portum tranquilla meat, jam littore gaudet  
Nauita, iam metam cursor tenet, anchora portum.  
Nauta tamen tremebundus adhuc post equoris estum  
Terrenos timet insultus, ne tutus in undis  
Naufragus in terra pereat, ne lior in illum  
Seuiat aut morsus detractio figat in illo  
Qui iam scribendi studium pondusque laboris  
Exhausit, proprio concludens fine laborem.  
Si tamen ad presens fundit sua murmura lior,  
Et famam delere cupit laudesque poete  
Supplantare nouas, saltem post fata silebit.

Explicit Anticlaudianus Alani de Antirufino.